PII VI. PONT. MAX.

ACTA

QUIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE CALAMITATIBUS

IN GALLIA

CONSULTUM EST

Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum.

Eccl. I, 9.

VOL. I.

ROMAE

TYPIS S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

SOC. EQ. PETRO MARIETTI ADMIN.

MDCCCLXXI.

PIE · IX

PONTIFEX · MAXIME

QVI · NOMINE · MAGNITVDINE · ANIMI

GLORIA · AERVMNARVM

REFERS

PIVM · VI · PONTIFICEM · MAXIMVM

TIBI

SACRVM · CONSILIVM · CHRISTIANO · NOMINI · PROPAGANDO

DEDICAT

HAEC · VOLVMINA

QVAE

TEMPORIS · HVIVS · IMAGINEM

EXHIBENT

BENEVOLO LECTORI

Catholicam Ecclesiam ab ultima elapsi saeculi periodo acerrima persecutione divexari, hanc autem modo hic modo illic acerbius desaevire, nemo est qui ignoret. Compertum quoque est a persecutoribus non unius vel alterius haereseos patrocinium susceptum fuisse, quod elapsis saeculis non semel accidit, sed potius catholicae religionis, imprimis vero Apostolicae Sedis cui illa innititur, exterminium intendi, quin et ipsum solvi *christianismum*, diabolo sub alia semper specie Ecclesiam oppugnante. Quod quidem etsi fraudulenter per philosophiam et inanes fallacias, quin et ipso Ecclesiae ad puriorem et sanctiorem normam revocandae praetextu actum fuerit, haud tamen, quoties impune licuit, parcitum est armis, et crudelissimae violentiae. Ut hisce malis pro suo debito et more Apostolica Sedes occurreret, duo constanter praestitit: primo quidem errores damnavit; qui autem horum magistri aut patroni fuerunt, eos detectis fraudibus dissimulationis suae integumentis nudavit. Deinde Ecclesiae ordini, fraudibus, vi, ac manifesta etiam insectatione perturbato, ipsa Apostolica Sedes consuluit, decretis,

responsis, instructionibus, et etiam extraordinariis facultatibus, quibus pro temporum et locorum necessitate Ecclesiarum pastores auxit, ne ex illarum defectu quidquam detrimenti catholica res pateretur.

Primus inter Romanos Pontifices qui recentiore aevo haec praestitit merito censendus est PIUS VI, quo sedente illa errorum monstra, si non primum nata, impune tamen grassari coeperunt; et inchoatum ab eo opus illius in Apostolica cathedra successores ad hanc usque diem strenue prosecuti sunt. Quapropter si universa nedum Pii VI, verum et sequentium Pontificum acta, quibus gravioribus Ecclesiae calamitatibus consultum est, in unum colligerentur, non solum monumentum perenne haberetur sapientiae et sollicitudinis Apostolicorum Antistitum, verum et norma tutissima. Qua norma in turbulentissimis temporibus uti possent Ecclesiarum Rectores, praesertim si quando Apostolicam Sedem adire vel consulere nequirent, quod non semel factum est, et rursum posse contingere nemo sapiens inficiabitur.

Hoc autem ipsa duce experientia satis innotuit, ac maiorum nostrorum qui illis temporibus vixerunt exemplo probatum est. Hi enim vix dum respirarunt a saevissima persecutione, continuo adlaborarunt colligendis in unum Pii VI Apostolicis litteris et rescriptis, iisque cum primum licuit, typographica arte excudendis, asservandis: quod, post collectionem celebri canonum doctori Zallingero adscriptam, et Augustae Vindelicorum editam ann. 1796, praestitum est a presbyteris

Gallis Guillon et Hulot, aliisque anonymis Collectoribus (1).

Deinde aliquot post annis Brevia et Instructiones Pii VI edendas suscepit cl. P. Augustinus Thainer Congregationis Oratorii presbyter in opere, cui titulum fecit *Documents inédits relatifs aux Affaires Religieuses de la France* 1790 *à* 180 *Paris* 1857. Multa etiam ex Pii VI actis intulit in celebres suas collectiones R. P. D. Augustinus de Roskovany Episcopus Nitriensis de ecclesiasticis disciplinis optime meritus; quod potissimum praestitit in ea, quam inscripsit *Monumenta Catholica pro Independentia Potestatis ecclesiasticae ab Imperio Civili. Quinque Ecclesiis* 1847, et in novissima cui titulus est: *Romanus Pontifex tamquam Primas Ecclesiae et Princeps civilis e monumentis omnium saeculorum demonstratus etc. Nitriae et Comaromii* 1867.

(1) Collectio Brevium atque Instructionum S. Sedis Apostolicae de calamitatibus Ecclesiae Gallicanae. *Nova editio* 1797. vol. 2.

Collection generale des Brefs et Instructions de Notre Très-saint Père le Pape Pie VI par M. N. S. *Quillon*-à Paris 1798. vol. 2.

SS. D. N. Pii PP. VI ad Galliarum Ecclesias Rescripta ab H. L. *Hulot.* Anno aerae Vulgaris 1799. vol. 1.

Recueil des decisions du S. Siège Apostolique relatives a la Constitution civile du Clergé, et aux affaires de l'Eglise de France depuis 1790 jusqu'en 1799. A Rome 1800. vol. 3.

Collectio Brevium atque Instructionum SS. D. N. Pii Papae VI, quae ad praesentes Ecclesiae Catholicae in Gallia et aliis a Gallis occupatis regionibus calamitates pertinent. *Iuxta exemplar impressum Romae typis R. C. A. 1800.*

Hae autem, praesertim vero postremae et omnium amplissimae collectiones, his stimulum addiderunt qui iamdudum Pontificum acta, imprimis Pii VI, ad Ecclesiae calamitates spectantia, prae manibus habere cupiebant; nec tamen eorum desiderio et communi necessitati factum est satis. Exempla enim vetustiorum ex memoratis collectionibus difficillimum est in officinis librariis invenire, haud facile in bibliothecis. Duae autem novissimae et plura continent et maioris profecto molis sunt, quam ut prompto et facili usui esse possint; quod quidem, ubi praesertim graviores ingruant calamitates, necessarium omnino est.

Placuit itaque, praedictarum collectionum subsidio, novam hanc suscipere editionem Actorum Pii VI, quae ceteroquin tempori peropportuna accidit. Quae enim opinionum contagia modo inficiunt societatem, quae perversa principia in catholicam religionem, in ecclesiasticam hierarchiam, maxime vero in Apostolicam Sedem effferuntur, et nefario opere complentur, ea ipsissima sunt, vel certe eorum consectaria, quae tunc primum Ecclesiam aperte adorientia damnavit Pius VI in Apostolicis Litteris, quae heic congeruntur.

Etsi autem mala illa superiori exeunte saeculo impudentius ac violentissime in Galliis eruperint, et illinc ad alias regiones vi etiam et armis fuerint propagata, in Germania tamen et in quibusdam Italiae partibus vel ante violentam illam eruptionem, paulatim inferebantur, ubi pessimo-

rum aulicorum fraude et artibus nequissimis Summi Principes circumventi sunt, eorumque providae sollicitudini in populos sibi subditos, impie illusum est. Hisce etiam malis curandis avertendis non defuit Apostolicus Romanae Sedis Antistes, et plura exstant Pii VI acta, quae idcirco edita sunt. Haec etiam novisse et in unum collecta habere multae foret utilitatis; eo vel magis quod si quae eorundem exstant collectiones, rarissimae sint, easque adinvenire difficillimum. Non idcirco tamen ab opere cessandum est, quin et alacrius in illud incumbendum: quod propitio Deo fiet, aliis post praesentia editis voluminibus, in quibus seiunctim quae ad Germaniam ab his quae ad Italiam pertinent, Acta Pii VI edentur. Cui operi accuratius peragendo, magno erunt subsidio venerabiles Ecclesiarum Praesules, siqua fortasse minus nota in eorum archivis delitescunt acta magni illius Pontificis , ad hanc typographiam tempestive mittere; unaque simul aliquid innuere de certa eorundem fide pro sua benignitate non dedignentur.

Porro quoad fidem et authentiam documentorum ad Galliarum Ecclesias pertinentium , quae heic congesta sunt, monuisse sufficiat, eadem ex supra memoratis collectionibus deprompta esse; nonnulla vero quae in iisdem desiderabantur, exscripta fuisse ex quibusdam exemplis quae prae oculis habere contigit, talibus autem ut nulla prudens ratio subesset, ob quam de horum authenticitate dubitare liceret. Nonnulla profecto deesse exploratum est: verum qui novit quot quantaeque diffi-

cultates occurrant in hisce collectionibus curandis, facilem dabit veniam (1).

Porro acta ista chronologico, quoad licuit, ordine disposita sunt. His appendix accessit, in quam ea compulsa sunt, quae actis ipsis vel aliquam lucem afferunt, vel eorundem causam vel consectaria indicant. Diligenter autem curatum est, ut ad primi voluminis calcem praecipua decreta, ipsa originali lingua servata, referrentur, quae a Conventu Nationali Gallico sancita fuerunt. Quod duplici ex causa factum est, ut scilicet luculentius intelligerentur Apostolicae Constitutiones, quibus decreta illa improbata damnata sunt; deinde ut satius pateret, si quis adhuc id ignorare deprehendatur, quae sequentibus annis in diversas Europae ditiones instituta aut leges invectae sunt, putidissima tantum esse illorum decretorum exempla; eaque, vel antequam ederentur, in praefatis Apostolicis constitutionibus, praedamnata fuisse. Postquam vero ad alterius voluminis finem deventum est, ea tanti Pontificis admiratio animum nostrum rapuit, ut abstinere nequiverit a referenda in appendicem funebri laudatione (2), qua honestatus est pridie Kalendas Novembris an. 1799

(1) Is bene de nobis merebitur, qui indicare benignus velit documenta quae hic desiderantur, eorumque una simul exempla mittere ad hanc typographiam additis opportunis notitiis quoad illorum genuitatem. Etenim optime factum esset, si novis additis documentis, locupletior collectio fieret, cui recudendae alacris opera daretur.

(2) Edita fuit Venetiis idibus Novembris ann. 1799 typis Antonii Curtii Iac. F. sumptibus Ioannis Zatta in libello cui titulus : *Pio Sexto Pontifici Maximo Parentalia.*

a Caesare Brancadoro Archiepiscopo Nisibeno et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide a Secretis in patriarchali Basilica Venetiarum, coram sacro Cardinalium Collegio, qui illuc non sine peculiari Dei consilio ad Successoris electionem convenerant.

Hoc opere optimus quisque fruatur, clerus prae primis, cui praecipue consultum est. Si enim *statuta Sedis Apostolicae vel canonum venerabilia definita, nulli sacerdotum Domini ignorare liberum est* (1), piaculum profecto foret, si quae Apostolica Sedes temporibus aptissima edocuit, iidem negligerent; et populus idcirco frustra legem ex ore ipsorum requireret, cum praevalente hominum nequitia quid dicendum, quid agendum sit ignorat, ut fidem suam et Deo et Ecclesiae intemeratam custodiat.

(1) S. Innocentius I. episc. ad Himer.

PIUS SEXTUS PONT. MAX.

Olim Ioannes Angelus Braschius Caesaenae natus die 27 Decembris 1717.

In sacrum Cardinalium Collegium a Clemente XIV cooptatus die 26 Aprilis an. 1773.

Ad summum Sacerdotium evectus die 15 Februarii an. 1775.

Vindobonam profectus an. 1782 rei catholicae consulturus.

A sua Sede in captivitatem abductus die 20 Februarii an. 1798.

Decessit sanctissime Valentiae ad Rhodanum die 29 Augusti an. 1799.

Diuturnitate pontificatus ceteros omnes Pontifices praetergressus, Ecclesiam rexit an. XXIV, menses VI, dies XIV.

Mortales exuviae solemni ritu Romam delatae die 17 Februarii an. 1802 in cryptis Vaticanis prope sepulcrum Principis Apostolorum conditae, uti supremis ipse tabulis praeceperat, et iamiam moriturus enixe flagitaverat.

Praecordia Valentiam revecta die 29 Martii an. 1803, ut votis eiusdem civitatis fieret satis, et in cathedrali ecclesia honorifice collocata.

I.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

PIUS PAPA VI.

Ven. Fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Inscrutabile divinae Sapientiae consilium, cuius semper mirabilia sunt opera, quemadmodum David natu minimum elegit inter mille, sustulitque de gregibus ovium, ut in excelso solio gloriae positus populum suum regeret, atque in virga directionis Deo redderet acceptabilem; sic adeo non sprevit humilitatem Nostram, ut quamvis in Purpuratorum Patrum Senatum novissimi omnium essemus adscripti, atque postremum locum teneremus, Nos tamen prae ceteris, qui Pontificio diademate digniores videbantur, voluerit episcopalis officii habere principatum, et ad tanti honoris sublimitatem evectos universae Ecclesiae suae esse Rectores. Quam dignationem plane admirandam, et bonitatem in Nos immensam, quum taciti et grato animi sensu assidue consideramus, a lacrimis temperare non possumus, beneficentissimam illam misericordiam, simul atque omnipotentiam perpendentes,

qua in eum munera sua contulit amplissime, in quo nulla meritorum suffragia invenit; constituens Nos infirmos, et immerentes in caput gentium, ut aeterni Pastoris vicariam procurationem gerentes in terris, pasceremus Israel hereditatem suam, eamque adduceremus in montem sanctum Sion, caelestem Hierusalem. Et quoniam maxime convenit, ut obsequium Nostrum, et oblatio consecrati pontificis a sacrificiis Dominicae laudis inchoetur; non possumus non erumpere in voces exsultationis, confitentes Domino, et clamantes cum Propheta (1): Laudem Domini loquatur os nostrum; et nomen sanctum eius anima nostra, ac spiritus, caro, et lingua benedicat. At *si religiosum est gaudere de dono, necessarium est etiam trepidare de merito. Quid enim tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti* (2)?

Quem non terreret praesens christiani populi status, in quo divina illa charitas, qua in Deo manemus, et Deus in Nobis, plurimum refrigescit; scelera autem, ac iniquitates magis in dies invalescunt? Cuius non obrueret animum gravissima illa consideratio, quod Ecclesiam Christi Sponsam custodiendam, ac tuendam suscipimus eo tempore, quo Orthodoxae Religioni tot struuntur insidiae; quo salutaris sacrorum canonum norma tam impudenter contemnitur; quo denique turbulenti homines immani quadam novitatum prurigine furentes vel ipsa rationalis naturae aggredi non dubitant fundamenta, atque item conantur, si fieri posset, subvertere? Profecto *in hac tanta materia trepidationis, nulla Nobis esset dependendae fiducia servitutis, nisi non dormitaret, neque obdor-*

(1) Ps. CXLIV. 21.

(2) S. Leo M. serm. I. cap. II. et serm. II. cap. I. postr. Venetae edit. FF. Ballerin.

miret, qui custodit Israel, et qui discipulis suis ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; nisi dignaretur non solum Custos ovium, sed ipsorum etiam Pastor esse Pastorum (1).

Quoniam vero tunc maxime, et abundantius in Nos munera divina descendunt, quum Nostra ad Deum ascendit oratio; Vos, venerabiles Fratres, adiutores, et consultores Nostros nunc primum allocuturi, illud etiam imprimis a Vobis magnopere expetimus pro ea, qua in Domino unum sumus, charitate, proque ea fide, qua in unum corpus coalescimus, ne cessetis quotidianis obsecrationibus vestris instare enixius apud Deum, ut confortet Nos in potentia virtutis suae, effundatque super Nos spiritum consilii, spiritum fortitudinis, quo inter tot rerum, ac temporum difficultates et quae agenda sint, videamus, et ad implenda, quae viderimus, convalescamus. Orate igitur in spiritu; et sit oratio vestra, et invocatio erga Nos amoris, et fraternae coniunctionis probatio certissima. Atque ut promptius, quod Nobis necessarium est, impetremus, sanctissimae Dei Genitricis Mariae, cuius patrocinio maxime confidimus, totiusque caelestis curiae merita interponite; praesertim vero tutelam Nobis, et praesidium implorate beatissimi Petri apostoli, *cuius Sedi non tam praesidere, quam servire gaudemus, sperantes orationibus ipsius esse praestandum, ut Deus misericordiarum ministerii Nostri tempora benignus aspiciat, Pastoremque ovium suarum custodire semper dignetur et pascere* (2).

Iam vero hoc ipso assumptae a Nobis apostolicae servitutis initio, quanto possumus paternae charitatis studio, Vos, venerabiles Fratres, excitamus et commo-

(1) Id. S. Leo serm. V. al. IV. cap. II.
(2) S. Leo ibid. cap. V.

nemus, ut fideles habeamini dispensatores mysteriorum Dei. Vos, quorum pars Dominus est, non ignoratis quid Vos facere oporteat, quos labores pro Ecclesia Dei sustinere, ut fortiter impleatis ministerium Vestrum. Hortamur itaque Vos, atque obsecramus, ut suscitetis gratiam, quae est in Vobis per impositionem manuum; nec quidquam praetermissum velitis, quod ad augmentum eius corporis pertineat, *quod compactum ex Christo est, et connexum per omnem iuncturam subministrationis* (1) in fide et charitate. Quamobrem quum satis persuasum Vobis omnibus arbitremur, praecipuum Ecclesiae bonum ex eo derivari, ut nemo, nisi per omnia probatus, clericali adscribatur militiae; necesse non est, ut eorum, quae in hanc rem sanctionibus sunt constituta canonicis, diligentissimam Vobis commendemus observationem. Pro eo enim, quo incensi estis studio, id accuratissime perficietis, ut qui sanctitate morum non praestant, qui docti in lege Domini non sunt, qui demum aut nullam, aut tenuissimam de se, suaque industria praebent exspectationem, illis ad ecclesiasticam militiam nullus pateat aditus; ne qui vobis manus debent adiutrices in pascendo, regendoque grege exhibere, ii labori vestro addant laborem, molestiam molestiae, sintque vobis impedimento, ne eos vineae fructus Dominus a suis cultoribus accipiat, quos in futuri retributione iudicii a Vobis severissimus aeque, ac iustissimus exactor Christus requiret. Sanctitate praecellat oportet, et doctrina, qui sacerdos est futurus; repellit quippe a se Deus, ne sacerdotio sibi fungantur, qui scientiam a se repulerint, nec operarius ad messem par aptusque esse potest, qui morum pietati scientiarum non coniunxerit studia. Quod quum fieri sine accurata institutione non

(1) Ad Ephesios IV. 16.

valeat, eapropter opportune decretum est, ut in unaquaque dioecesi clericorum collegium pro modo facultatum, si deesset, institueretur; institutum autem studiosissime conservaretur. Nisi enim a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, atque in litterarum palaestra exerceatur ad lubricum iter prona ac proclivis adolescentium aetas; quo pacto fieri poterit, ut vel in disciplina ecclesiastica sancte perseveret, vel eos in humanis, ac sacris litteris progressus faciat, quos ad populi fidelis exemplum, atque institutionem ministerium Ecclesiae postulat? Collegia huiusmodi recte instituta, sancte conservata studio Vestro, atque aptissimis legibus diligenter communita, multoque magis quam antea amplificata esse in singulis dioecesibus facile Nobis persuademus; praesertim posteaquam immortalis memoriae Benedictus XIV. praedecessor Noster id operis, tamquam muneri Vestro pernecessarii, unicuique vestrum tantopere commendavit (1). Quamobrem sicuti apostolicae laudationis praeconio eximios labores, ac diligentiam in iisdem colendis, augendisque fraudare non possumus; ita si forte in aliqua dioecesi aut instituta adhuc non essent, aut otiosa detinerentur, non possumus non vehementer eos, ad quos spectat, impellere, illisque etiam praecipere, ut in rem adeo utilem omni virtute enitantur.

Ob eandem causam suspicari non licet, quin id, quod maxime fidelium animos commovere, atque in sacrarum rerum venerationem solet adducere, decorem videlicet domus Dei, et eorum, quae divino cultui sunt addicta, nitorem, dignitatemque omni tempore apprime curetis. Quam absonum esset, episcopi domum mundiorem esse, et elegantius ornatam, quam

(1) Epist. Encycl. ann. 1741.

sit sacrificii domus, sanctitatis hospitium, aula Dei vivi? Quam absurdum sacras vestes, altarium ornamenta, atque universam supellectilem vel vetustate squallentem, et conscissam, vel sordibus foedatam intueri; mensam autem episcopi splendide paratam, sacerdotis indumenta nitidissima, et ad multam venustatem composita? *Quantae confusionis opprobrium est,* ut praeclare scripsit S. Petrus Damiani (1), *quod nonnulli in squallido linteo dominicum corpus et offerant, et involvant; et quod non dignaretur potens quilibet, qui tamen vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc isti corpus non verentur imponere Salvatoris!* At Vos certe quidem, venerabiles Fratres, ab huius negligentiae crimine disiunctissimos existimamus, cui obstrictos maxime vult sanctus idem Cardinalis eos, qui ex adquisitis Ecclesiae bonis non *codices* emunt, *non ornamenta, non utensilia suis Ecclesiis* comparant; sed in suos usus quasi *necessitudinis sumptus* cuncta prodigere non perhorrescunt.

De his igitur Vobiscum amanter loqui, venerabiles Fratres, non inutile esse putavimus ad optimae voluntatis vestrae confirmationem. At multo gravius aliquid sermonem Nostrum, seu potius Nostrarum vim lacrimarum exquirit, et vindicat; pestilens nimirum ille morbus, quem Nostrorum temporum nequitia parturit; ut unanimes, coniunctisque viribus necessariam adhibeamus medicinam, ne dissimulatione Nostra insanabilis in Ecclesia nutriatur, atque excrescat pestilentia. Videntur enim novissimis his diebus instare *tempora illa periculosa,* de quibus praenunciavit apostolus Paulus (2), quando nempe erunt *homines se ipsos amantes, elati, superbi, blasphemi, proditores, voluptatum amatores magis quam Dei, semper discentes,*

(1) Lib. IV. epist. 14. tom. I. op. edit. rom. 1606.

(2) II. ad Timoth. III.

et numquam ad scientiam veritatis pervenientes, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, corrupti mente, reprobi circa fidem. Hi se erigunt in magistros *mendacissimos,* ut eosdem appellat apostolorum princeps Petrus, atque introducunt sectas perditionis; et eum, qui emit eos, Dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionem. Dicunt se esse sapientes, et stulti facti sunt; et obscuratum est insipiens cor eorum. Quam multos plena fallaciis iactet ubique triumphos philosophia, ea nimirum, quae tam honesto vocabulo suam abscondit impietatem, quantaque facilitate ad se trahat alliciatque populorum multitudinem, vos ipsi bene prospicitis, qui speculatores constituti estis in Domo Israel. Dogmatum iniquitatem ac nequissima deliramenta, quae insinuat, quis aut dicendo persequi poterit, aut cogitando comminisci? Dum videri volunt sibi quaerere huiusmodi homines sapientiam, *quia non rite quaerunt, prolabuntur longius; et in tantos errores incidunt, ut etiam communem sapientiam non teneant* (1). Atque equidem eo usque deveniunt, ut impiissime effingant, aut non esse Deum, aut otiosum esse et desidem, nihil nostra curantem, nihil hominibus revelantem; ut proinde mirandum non sit, si quidquid sanctum, atque divinum est, blaterent esse inventum atque excogitatum ab imperitorum hominum mentibus, inani futurorum metu perculsis, et vana immortalitatis spe illectis. Sed fraudulenti isti sapientes tantam dogmatum perversitatem iis verborum, ac sententiarum lenociniis emolliunt, et occultant, ut infirmiores, qui plurimi sunt, quasi quadam esca capti, miserandum in modum irretiti, aut fidem prorsus abiiciant, aut certe labefactari magnopere sinant: dum

(1) Lactant. divin. instit. lib. III. cap. 28. edit. Paris. 1748.

quasi praeclaram aliquam scientiam consectantes aperiunt oculos ad falsam eam lucem hauriendam ipsis tenebris deteriorem. Nimirum hostis noster nocendi cupidus, et peritus, sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis assumpsit; ita horum linguas, linguas sane dolosas, a quibus animam suam liberari postulat Propheta (1), ad seducendos fidelium animos veneno suae falsitatis armavit. Itaque suo hi sermone *humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt* (2). Quanta hinc in moribus corruptio, quanta in cogitando loquendoque licentia, quanta in omni actione arrogantia, et temeritas!

Et vero his offusis tenebris, atque evulsa e cordibus religione, id praeterea aggrediuntur perditissimi hi Philosophi, ut quibus homines vinculis inter se, atque cum Dominantibus coniunguntur, et in officio continentur, ea omnia dissolvant; liberum hominem nasci ad nauseam usque clamitant regeruntque, nec cuiusquam obnoxium imperio; societatem propterea multitudinem esse hominum ineptorum, quorum se prosternat stupiditas coram sacerdotibus, a quibus decipiantur, coram regibus, a quibus opprimantur, adeo ut concordia inter sacerdotium et imperium nihil sit aliud, quam immanis conspiratio contra insitam homini libertatem. Quotus autem quisque non videt huiusmodi deliramenta, atque horum similia multis simulationum involucris contecta, tanto maiorem quieti et tranquillitati publicae afferre perniciem, quanto tardius auctorum coercetur impietas; animabus vero Christi sanguine redemptis eo esse graviori detrimento, quo, ut cancer, sermo eorum latius serpit, atque se intrudit in publicas academias, in magnatum domos,

(1) Ps. CXIX. 2.
(2) S. Leo M. serm. XVI. al. XV. cap. 3.

in aulas regum, et, quod horrendum dictu prope est, etiam in Sanctuarium se insinuat?

Vos propterea, venerabiles Fratres, qui estis sal terrae, custodes Dominici gregis, et Pastores, quorum est proeliari proelia Domini, exsurgite, et accingimini gladio vestro, qui est Verbum Dei; atque a finibus vestris improbam contagionem depellite. Quousque tandem communem fidei, et Ecclesiae contumeliam dissimulamus? Tamquam clamantis Christi Sponsae gemitu Nos excitari putemus illis Bernardi verbis (1): *Olim praedictum est, et nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima; amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu haereticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum... Intestina est plaga Ecclesiae; et ideo in pace amaritudo mea amarissima. Sed in qua pace? et pax est; et non est pax. Pax a paganis, et pax ab haereticis; sed non profecto a filiis. Vox plangentis in tempore isto: Filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Spreverunt, et maculaverunt me a turpi vita, a turpi quaestu, a turpi commercio, a negotio denique perambulante in tenebris.* Lacrimosis his questibus pientissimae Matris quis se commoveri, atque impelli vehementer non sentiat ad praestandam omnem suam, quam Ecclesiae arctissime pollicitus est, industriam atque operam? Vetus igitur fermentum expurgate; auferte malum de medio vestri, idest venenatos libros ab oculis gregis magna vi et sedulitate extorquete; animos autem infectos prompte fortiterque segregate, ne sint ceteris nocumento. *Aliter enim*, aiebat sanctissimus Pontifex Leo (2), *Nobis commissos regere non possumus, nisi hos, qui*

(1) Serm. XXXIII. super Cantic. num. 16. tom. IV. op. edit. Paris. 1691.

(2) Ep. VII. ad VIII. ad episc. per Italiam cap. 2.

sunt perditores, et perditi, zelo fidei Dominicae persequamur; et a sanis mentibus, ne pestis haec latius divulgetur, severitate, qua possumus, abscindamus. Qua in re perficienda vos hortamur, obtestamur, et monemus, ut quemadmodum in Ecclesia una est fides, unum baptisma, unusque spiritus; sic unus omnium vestrum sit animus, et concordia individua, una eademque et iugis contentio; et qui iuncti estis institutis, pari etiam virtute, ac voluntate coniungamini. De summa re agitur, quia agitur de fide catholica, de Ecclesiae puritate, de sanctorum doctrina, de tranquillitate imperii, de salute populorum. De eo agitur, quod ut ad universum Ecclesiae corpus, sic ad vos maxime pertinet, qui pastores estis in partem sollicitudinis Nostrae vocati, et quorum vigilantiae puritas fidei est singulariter commendata. *Nunc itaque, fratres, quoniam vos estis Episcopi in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite* (1), ut stent in fide, et ingredi valeant in illam requiem, quae solis credentibus parata esse dignoscitur. Obsecrate, arguite, corripite, increpate, nolite timere; indiscretum quippe silentium hos, qui erudiri poterant, deserit in errore, illis, et vobis, a quibus depelli debebat, damnosissimo. Sancta Ecclesia tunc valentius in veritate reficitur, quum ardentius pro veritate fatigatur; neque in divino hoc opere aut potentiam adversariorum, aut gratiam pertimescatis. Absit timor ab Episcopo, quem unctio sancti Spiritus roboravit. Absit a Pastore metus, quem Princeps pastorum suo docuit exemplo vitam ipsam pro salute gregis contemnere: ab episcopali pectore absit vecordia mercenarii, et abiectio. Egregie pro more suo magnus ille antecessor Noster Gregorius (2),

(1) Iudith VIII. 21.

(2) Reg. Pastor. II. c. 4. tom. II. op. edit. Paris. Monach. s. Mauri.

Ecclesiarum praesides erudiens, inquiebat: *Saepe rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt, et iuxta veritatis vocem, nequaquam iam gregis custodiae Pastorum studio, sed Mercenariorum vice deserviunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt . . . Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quam tacendo terga praebuisse?* Quod si nequissimus humani generis hostis, quo conatibus vestris acrius obsistat, illud aliquando efficiet, ut religiosis saeculi potestatibus abscondita sit grassantis morbi pestilentia, ne quaeso concidatis animo, sed ambulate in domo Dei cum consensu, cum oratione, et veritate, quae sunt arma militiae nostrae. Mementote, quod contaminato Iudae populo, nil ad illius purgationem aptius visum est, quam ut liber legis, quem paulo ante invenerat Helcias pontifex in templo Domini, cunctis a parvo ad maximum audientibus, promulgaretur; et statim consentiente universo populo, abominationibus destructis, *foedus percussum coram Domino est, ut ambularent post Dominum, et custodirent praecepta eius et testimonia, et caeremonias in omni corde, et in tota anima* (1). Non dissimili ratione sacerdotes et levitas misit Iosaphat, qui habentes librum legis circumirent civitates Iuda, atque erudirent populum (2). Vestrae fidei, venerabiles Fratres, divini verbi promulgatio non humana, sed divina est auctoritate commissa. Congregate ergo populum, annunciantes illi Iesu Christi Evangelium; atque e divino illo penu, e caelesti illa doctrina succum verae philosophiae in vestrum quisque gregem derivate. Suadete subditis servandam esse fidem, et exhibendum obsequium illis, qui Dei ordinatione prae-

(1) IV. Reg. XXII. et XXIII.
(2) II. Paralipom. XVII. 7. et seq.

sunt et imperant: date addictis Ecclesiae ministerio documenta fidei, continentiae, sobrietatis, scientiae, ac liberalitatis, ut placeant Ei, cui se probaverunt; nihilque praeseferant, nisi grave, moderatum, ac religione plenum. Super' omnia autem in cunctorum animis ignem mutuae illius charitatis accendite, quam tam saepe, tamque singulariter Christus Dominus commendavit, quaeque una est Christianorum tessera, et vinculum perfectionis.

Haec sunt, venerabiles Fratres, de quibus potissimum Vos alloqui in Domino cupiebamus; et quae a Vobis ardentissimo studio, et omni contentione expetimus, ut proprio experimento probemus, quam iucundum sit Nos omnes unanimes esse in fideliter servando deposito custodiae Nostrae concredito. Ast peccatis Nostris impedientibus, consequi illa eadem non possumus, nisi cito anticipent Nos misericordiae Domini, qui praeveniat propitius suis benedictionibus. Quapropter, ut expeditius introeat in conspectu Eius communis oratio Nostra, et Ipse reconcilietur Nobis, et adiuvet infirmitatem Nostram; quo tempore has litteras Vobis mittimus, eodem alias damus, quibus universis Christifidelibus Iubilaeum concedimus, sperantes in Eo, qui est miserator, et misericors, ut sicut dedit nobis ligandi ac solvendi potestatem in terris ad aedificationem sui Corporis; sic et vobis et vestris gregibus ad salutem sit largiturus, ut ab omni semper errore alieni de virtute in virtutem proficiatis. Quod plane ex animo adprecamur, dum apostolicam benedictionem Vobis, populisque curae vestrae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die XXV. decembris MDCCLXXV. Pontificatus Nostri anno Primo.

II.

DILECTO FILIO

ARMANDO DE CHAPT (*)

Doctori Sorbonico, et Arelatensis dioecesis Vicario Generali

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae pridie calendas Novembris ad Nos datae a te fuerunt litterae officii plenae (1), eas proximis hisce diebus tantum accepimus una cum elucubratione tua *de proprietate bonorum Ecclesiae* gallice edita (2).

(*) M. l'abbé Chapt de Rastignac, docteur de la maison et société de Sorbonne, vicaire-général du diocèse d'Arles, député à l'Assemblée des états-généraux en 1789, digne titulaire de l'abbaye gouvernée à sa naissance par s. Mesmin au 6e siècle, mais plus heureux que lui, parce qu'il lui fut donné à l'âge de près de 80 ans, de couronner les mêmes vertus par la récompense du martyre, mérite une place distinguée parmi les défenseurs de la morale, de la religion et du dogme catholique pour ses écrits contre *le divorce*, son édition et traduction de la *lettre synodale du patriarche Nicolas III. à l'empereur Alexis* contre les divisions diocésaines par la puissance séculière, accompagnée de savantes notes ; mais surtout par ses questions sur la *propriété des biens ecclésiastiques.* Quand le clergé dépouillé de ses antiques propriétés ne s'est pas permis la moindre expression qui pût rappeller des souvenirs et des regrets, la postérité doit savoir que l'érudition, unie à l'eloquence, avait réclamé en faveur de ces biens, patrimoine sacré, dépôt inaliénable, contre lequel le silence des victimes, la tyrannie des oppresseurs, la violence des tourbillons révolutionnaires, et l'action même du temps ne sauraient préscrire. *(Not. Edit. Rom. an. 1800.)*

(1) Epître dédicatoire au pape Pie VI, en tête de l'ouvrage sous ce titre: *Questions sur la propriété des biens fonds ecclésiastiques en France,* 1 vol. in-8. Paris, Pierres 1789.

(2) Le savant auteur examine dans son ouvrage les questions

politicis negotiis subiici ac inservire deberet. Consecuti extemplo sunt violenti inter cives, seditiosi, cruentique motus, quos cum progredi magis in dies audiremus, conversi statim sumus ad implorandam divinam pro illa natione misericordiam, publicasque preces indiximus, quae etiam nunc quotidie persolvuntur. Sed irritas apud Dominum deprecationes has Nostras adhuc esse, non sine plurimo animi moerore conspicimus, malumque illud adeo augeri, atque excrescere dolemus, ut, quo ulterius progredi possit, non videamus.

Per decreta, quae a generalibus nationis comitiis prodierunt, ipsa impetitur, perturbaturque Religio, huius Apostolicae Sedis usurpantur iura; solemnia pacta, et conventa violantur. Et quemadmodum huiusmodi mala ex falsis emanarunt doctrinis per infectos venenatosque libros, qui in manus omnium diffundebantur; ita quo in posterum etiam latius securiusque evulgari imprimique possent ea opinionum contagia, inter prima Comitiorum decreta illud exstitit, quo libertas asseritur cogitandi etiam de Religione, prout cuique libeat, suaque cogitata impune proferendi, nec quemque aliis obstringi legibus statuitur, quam quibus ipse consentiat. In consultationem praeterea ipsa est deducta Religio, num scilicet Catholica sit per Gallicam Ditionem, uti dominatrix, necne retinenda. Habiles facti sunt Acatholici ad omnia gerenda municipalia, civilia, militaria munera; statutum item, ne amplius habeatur ratio Monasticorum solemnium votorum, utque omnia ad utriusque sexus egressum Coenobia, Religiosaeque Domus aperiantur; praetereaque declaratum, cuncta Ecclesiastica bona ad Nationis ius pertinere; abolitaeque Decimae, quae magnam eorundem bonorum partem constituebant; iniectae manus ad altarium ac templorum argenteam

supellectilem; aliaeque demum huius generis vel iam captae, vel proxime capiendae deliberationes.

Haec Nos intelligentes, possumusne tot mala taciti praeterire, nec Apostolicam extollere vocem contra nefaria Decreta, quibus Religio ad perniciem deducitur, quibus Sanctae huius Sedis cum illo Regno communicationem prope intercipi atque abscindi perspicimus? Ah! Nostrum Nobis improperasse silentium videtur Isaias Propheta, cum dixerit: *Vae mihi quia tacui* (1). Sed quomodo, quibusve loquendum? Num Episcopis omni auctoritate privatis, ac perterritis, quorum multi suas Sedes deserere coacti sunt? Num Clero, qui dispersus est, et abiectus, nec amplius suos agere conventus valet? Num ipse compellandus Christianissimus Rex, cui Regia auctoritas erepta? Ipse, qui Comitiis subditur, et suo sancire nomine cuncta illa decreta compellitur? Natio fere omnis specie vanae libertatis misere seducta paret, et mancipatur Concilio Philosophorum se invicem mordentium, ac obtrectantium, non agnoscens, quod regnorum salus potissimum innitatur Christi doctrinae (2), quodque eorum constituitur felicitas, *ubi omnium pleno consensu Regibus obeditur,* ut totidem verbis docet Augustinus (3). Ministri enim Dei sunt Reges in bonum, Ecclesiae filii sunt ac patroni, quorum est eandem ut parentem diligere, eiusque causam ac iura custodire.

Videmus profecto quam grave Nobis impositum sit loquendi, monendi, hortandique munus. Sed novimus etiam, non solum inanem futuram vocem Nostram, qua uteremur ad efferatam Populi in omnem licentiam

(1) Cap. VI. vers. 5.

(2) *S. August.* ad *Marcellin.* Epist. 138. n.15. Oper. omn. Edit. *Maurin.* Tom. II. col. 416.

(3) *Contra Faustum* Lib. XXI. Cap. 14. Oper. Tom. VIII. col. 360.

effusi multitudinem, quae proruit ad incendia, ad rapinas, ad supplicia interfectionesque civium, neque ullum relinquit humanitati locum; verum etiam verendum esse, ne magis magisque ad alia perpetranda facinora irritetur et accendatur. Atque hic certe praeclarum Nobis reliquit documentum S. Gregorius Magnus, non semper importunum esse silentium, sed tempus tacendi, et tempus loquendi considerans, ac inter se distinguens, hunc in modum Nos instruit: *Nobis caute discendum est, quatenus os discretum et congruo tempore vox aperiat, et rursum congruo taciturnitas claudat* (1). Quin etiam notissimum est, non solum S. Athanasium tacuisse, sed etiam Alexandria profugisse, cum excitata esset persequentium insectatio. Scribit enim: *Ne ita praecipites, et temerarii simus, ut tentemus Dominum* (2). Id egit S. Gregorius Thaumaturgus, et S. Dionysius Alexandrinus (3); id ipsum docent peritissimi sacrorum librorum interpretes.

At verum est etiam, eius silentium, cui loquendi munus est impositum, perpetuum esse non debere, sed servandum usque dum rumpi possit sine proprio, aliorumque periculo; quod ex S. Ambrosii verbis ediscimus, cum scriberet: *Ergo David tacebat, non semper, sed pro tempore, non iugiter, neque omnibus, sed irritanti adversario, provocanti peccatori non respondebat* (4). Sed interim, dum ad Gallicam nationem Nostra vox obstructa est, quid Nobis agendum? Loquendum certe cum Deo, inflammandaeque sunt ad

(1) *Regul. Pastor.* Oper. Edit. *Maurin.* Tom. II. pag. 54.

(2) *Apolog. I. de fuga sua.* Oper. edit. *Maurin.* numer. 22. Tom. I. Part. I. pag. 333.

(3) *Baron.* ad Ann. 258. num. 99, 100, et 129.

(4) *De Offic.* Lib. I. Cap. 10. num. 34. Oper. Edit. *Maurin.* Tom. II. pag. 10.

Ipsum, et multiplicandae deprecationes Nostrae. Interea hanc Nostram Allocutionem, ut testem adhibendam ducimus, quod agnoscamus scilicet, quanta inferatur iniuria Religioni, quantum ab huius Apostolicae Sedis iuribus detrahatur; unaque declaramus, taciturnitatem Nostram non ad incuriam, multoque minus ad approbationem esse referendam; at agnoscimus, necessarium esse pro hoc tempore silentium, donec per alias rerum vicissitudines, quas Deo protegente proximas propitiasque speramus, utiliter loqui possimus.

IV.

DILECTO FILIO NOSTRO

DOMINICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DE RUPEFUCALDIO

Archiepiscopo Rothomagensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi maximo quotidie dolore afflictemur ob vestras, vestraeque Nationis res, quae ad Nos continuo per nuncios afferuntur, tamen tuis perlectis Litteris, dilecte Fili noster, die 9 huius mensis ad Nos datis, maiorem adhuc in modum augetur paterni Nostri animi aegritudo, ac tantis tamque repetitis Ecclesiae Gallicanae detrimentis a Te commemoratis, una Tecum ingemiscimus, et pene obruimur Tua hac ipsa luctuosissima deploratione. Vestrum enim moerorem non ita percipimus, tamquam a Nobis alienum, sed Nostrum reputamus, propriaque huius S. Sedis esse vulnera, quae in Vos infliguntur. Quale igitur in tantis malis,

quod a Nobis postulas, solamen afferre Vobis possumus, cum eodem Nos ipsi non minus indigeamus? Sed quod in humanis rebus remedium non reperimus, non ideo tamen despondere debemus animum, sed spes Nostras omnes in eum proiicere, qui pacis, et consolationis Deus est, atque idcirco coniungere obsecrationes ad ipsum Nostras, quo efficaciores sint ad tantas avertendas calamitates; quas certe preces non intermisimus, ex quo primum labores, et pericula vestra, universaeque Gallicae Nationis intelleximus, ut scilicet vestras res in melius vertat Deus, Nostrumque moerorem cum iucunditate commutet, ac suam ita gloriam magis magisque claram, manifestamque reddat, fidemque in Eum Nostram firmiorem. Interim ut Nostra erga Vos studia quam propensa, quamque parata sint, Tibi comprobemus, libenter annuimus postulato, quod subiecisti; ac indulgemus, prout difficillimis hisce temporibus opportunum, et retinendae Ecclesiasticae disciplinae congruum esse censes, ut Votorum Regularium dispensationes, quae deinceps expedientur, solorum Episcoporum religioni et prudentiae committantur: atque id pro singulis casibus praestetur per consueta Brevia Apostolicae Datariae. Vosque in Domino hortantes, ut ex his ipsis tribulationibus vestris maiora apud Deum comparetis merita, et Ecclesiis vestris, universoque Gallico Regno praesidia, Apostolicam Tibi, tuisque Collegis Benedictionem caelestium munerum auspicem ex animo, ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXXI. Martii MDCCXC. Pontificatus Nostri anno XVI.

Benedictus Stay

V.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO

Francorum Regi Christianissimo

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Minime dubitamus, Carissime in Christo Fili Noster, quin intima animi Tui voluntate adhaereas Religioni Catholicae, Apostolicae, et Romanae, Unitatis Centro, Sanctae Sedi, Nobis ipsis, gloriosorum Maiorum Tuorum Fidei; tamen vereri debemus, ne per fallaces captiososque sermones, Tuus erga subiectos Tibi populos illudatur amor, neve abutantur aliqui desiderio, quo inflammaris ordinandi Regni tui, ac ad pacem, tranquillitatemque revocandi.

Nos Iesu Christi vices gerimus in terris, Nobisque commissum ab illo est Fidei Depositum; ad Nostrum idcirco munus singulariter spectat Te non iam de explendis erga Deum Populosque officiis admonere (non enim existimamus, Te a conscientia Tua desciscere, ac ad vanae politices abduci commenta), sed ex paterno animi Nostri erga Te amore, Maiestati Tuae palam facere, certissimeque denunciare, si decreta ad Clerum pertinentia approbes, eo ipso in errorem universam Te inducturum nationem Tuam, regnumque in schisma, et in crudele fortasse etiam Religionis bellum esse impulsurum. Nos quidem omnem hactenus in eo diligentiam posuimus, ne quis huiusmodi motus per Nos excitetur, non alia adhibentes, quam innoxia Nostrarum ad Deum obsecrationum arma. At

si periclitari perget apud Vos Religio, in eam vocem quae exaudiatur, Ecclesiae Caput prorumpet, ita tamen ut numquam simus a charitatis regulis recessuri. Plurimum debere quidem Nos agnoscimus mundo, sed ipsi Deo multo adhuc magis.

Noli, Carissime in Christo Fili Noster, illud existimare, a politico et tantummodo civili Corpore immutari posse doctrinam, et disciplinam Ecclesiae universam, contemni ac pro nihilo haberi SS. Patrum Conciliorumque sententias, Hierarchiam everti, decerni super Episcoporum electione, aut suppressione Episcopalium Sedium, ac uno verbo omnem ex eius arbitrio aedificationem Catholicae Ecclesiae perturbari, ac deformari.

Ipsa Maiestas Tua duos habet in regio suo Consilio Archiepiscopos, quorum alter per diuturnum sui Episcopatus spatium Religionem contra Incredulitatis incursus propugnavit; alter vero eorum, quae ad ipsam Religionem, eiusque regulas pertinent, apprime doctus est atque intelligens. Eos consule, atque item ceteros, quorum magnus est in Regno numerus, Antistites, Doctoresque cum pietate, tum scientia praestantes; ne in periculum adducatur aeterna salus cum Tua, tum populi Tui per inconsultam approbationem, quae Catholicis omnibus scandalo esset et offensioni.

Plurima quidem Tibi de Tuo detraxisti pro Nationis bono; sed si in Tua erat potestate iis etiam iuribus cedere, quae regiae inhaerent Coronae, nullo quidem modo abalienare, atque abiicere potes ea, quae debentur Deo, atque Ecclesiae, cuius es primogenitus Filius.

Ut Nos, qui Capitis Ecclesiae personam gerimus, in summa pro illa versamur animi aegritudine; ita alia pariter dolendi causa Nobis, eaque gravis accessit, ut qui itidem temporalem gerimus principatum.

Novit iam Maiestas Tua Avenionem a Nobis rebellando descivisse, seque in potestatem obtulisse Gallicae Nationi. At Nobis de eadem Natione ita est persuasum, fore, ut numquam sit, quod offertur, acceptura, utque Maiestatis Tuae animus donum illud omnino reiiciat. Secus enim ab eiusmodi exemplo (praeter manifestam iniuriam) consequeretur, ut Natio Gallica numquam reclamare posset, si suae Provinciae a se deficerent, ac in limitropharum ius transirent: quod certe potest in hac tanta Tui totius Regni perturbatione facillime contingere.

Divinae confidamus Providentiae, constanterque inhaerentes patrum nostrorum Fidei, praesens nobis ab illa praesidium promereamur. Quod vero ad Nos singillatim pertinet, numquam animum Nostrum vacuum a cura atque angore habere profecto poterimus, nisi cum in tuto positam Maiestatis Tuae tranquillitatem felicitatemque intelligemus.

Atque ex hoc intimo paterno sensu profectam Maiestati Tuae, Augustaeque universae Familiae Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die X. Iulii MDCCXC. Pontificatus Nostri Anno XVI.

Benedictus Stay.

VI.

VENERABILI FRATRI

IOANNI GEORGIO

Iam Archiepiscopo Viennensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Recentia Decreta istius Conventus Nationalis circa res Ecclesiasticas parem prae se ferunt cum erroris, tum nullitatis characterem: erroris scilicet, quia falsam continent doctrinam; nullitatis vero, quia pronuntiata sunt ab incompetenti auctoritate. Qualis idcirco Nostri sit animi aegritudo, quamque intimus dolor, per Te ipsum, Ven. Frater, facilius consequi cogitando potes, quam Nos ullis Tibi verbis exponere.

Sed quanto inconsolabili oppressi angore essemus, si Christianissimus Rex iis decretis suam adiungeret sanctionem! Ex qua regiae auctoritatis actione quid aliud prodiret, quam schisma, per quod omnis abscinderetur communicatio istius Galliarum Regni cum unitatis Centro, quod in hac Apostolica Sede divinitus est constitutum? Ille Rex igitur, qui tam glorioso Christianissimi nomine compellatus est, schismaticus, proh dolor! evaderet, schismaticique omnes Episcopi essent ad praescriptam a Nationali Conventu formam electi, Nosque ipsi teneremur eosdem a communione Fidelium exclusos declarare. Incredibilis tum foret Nostri cordis angustia, in hoc Pontificatu perditum videre tantum tamque extensum Regnum, ac tam de Ecclesia bene meritum, videre Incredulorum de illa triumphum, qui iam in eo, quod recusarunt Catholicam Religionem dominantem declarare, illud perspi-

cue agebant, ut Catholicismi nomen abolerent, ac innumerabiles, quot possent, misere in perditionem inducerent.

Nos tamen hactenus Apostolicam continuimus vocem Nostram, ne magis irritarentur furentium Incredulorum animi; interim tamen per publicas privatasque preces Divinam opem implorare non intermisimus. Nunc vero cum ad ultimam perniciem nihilominus procurri videamus, amplius Nobis tacere permissum non esse iudicavimus. Ad ipsum igitur Regem per huius diei tabellarium mittimus familiarem in modum conscriptas Litteras, quibus eum omni, quo possumus, studio hortari contendimus, ne sua auctoritate memorata Decreta sanciat, roboret, confirmet. Verum cum vivam ad ipsum vocem, quae multo efficacior esset, adhibere non valeamus, eandem requirimus ab ipsis Venerabilibus Episcopis Fratribus, quibus datur Regem alloqui, utpote ipsi ob sua merita peracceptis.

Unus ipse ex iis es, maximeque ad tantam rem praestandam idoneus, cum saepe dederis praeclara zeli tui specimina in sustinenda tuendaque sana doctrina. Cum igitur eorum singulariter exhibendorum urgeat hoc tempus, valde perspecta virtute Tua confidimus, Ven. Frater, Te hanc gravissimam operam sedulo, atque impigre suscepturum, ut salves Religionem, Regem, ac Patriam Tuam. Facile certe poteris optimi Regis animum inducere, ut abstineat se ab illa fatali sanctione, etiamsi proposita sit ex adversa parte ipsi plena periculi resistentia, cum Catholica veritas nequaquam ullo tempore dissimulari possit, vel eo animo ad eandem, mutatis rerum circumstantiis, revertendi.

Si his sensibus Evangelica plane vi apud Regem institeris, quemadmodum Te per merita D. N. I. C. obsecramus, magnam erigimur in spem, ut tam glo-

riosum conatum Tuum optimus consequatur successus, quem Nos cum omnibus Bonis ardentissime cupimus, Nobisque pollicemur. Idque per Tuam operam a Divina misericordia exspectantes, interim Tibi, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem in amplius Pontificiae benevolentiae pignus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die X. Iulii MDCCXC. Pontificatus Nostri Anno XVI.

PIUS, qui supra (*).

VII.

VENERABILI FRATRI

HIERONYMO MARIAE

Archiepiscopo Burdigalensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Illa fiducia, in quam inducimur a patefacta per benevolentiam Tuam inter Nos communicatione, excitat Apostolicum Nostrum animum, ut Tuum Religionis zelum inflammemus, quem maxime postulant haec tempora Gallicam Monarchiam in summum dis-

(*) Die 29 Iulii 1790 respondit Archiepiscopus nuper vita functus, se omnia praestiturum, quae in sua essent potestate, hisce inter cetera adhibitis verbis: *Neque (quod Deus avertat, ipsiusque misericordia non eventurum confido) cum dedecore, ac scelere proditae, vel desertae Fidei canos meos ad inferos deducam.*

Haec nota, et *quae subsequuntur*, in exemplaribus ab Excell. ac Rev. Nuncio ad Tractum Rheni concessis reperiuntur, et exinde huc translatae sunt. *(Not. Edit. an. 1800.)*

crimen adducentia. Testis Ipse praesens es gravissimarum perturbationum, quibus involuta ac pene obruta fuit paucorum mensium spatio civitas ista, ipsumque universum Regnum; Nosque talia audientes, ne magis incitaretur furor auctorum, potius tacendum Nobis tunc existimavimus, ac interim publicis privatisque precibus ad Dominum confugere, ab Eoque tranquillitatem, rectumque Gallicis rebus ordinem implorare. Verum nunc cum eas perturbationes apud Vos adeo processisse videamus, ut Iudices plane incompetentes veriti non sint manus suas ad Propitiatorium extendere, non possumus amplius continere silentium illud, nec in liberas debitasque a Nobis voces non prorumpere.

Quae nuper emanarunt ab isto Nationali Conventu Decreta eiusmodi sunt, ut plane adversentur Catholicae Ecclesiae Unitati, ac istius Regni cum Apostolica hac Sede communicationem disrumpant, si iisdem Rex ipse Suam adiungere inducatur sanctionem, per quam scilicet incideretur in schisma, Rexque Christianissimus, ille videlicet Ecclesiae primogenitus filius, schismaticus evaderet, schismatici Episcopi, qui ad praescriptam decretorum formam crearentur, quos Nos ipsi propterea declarare ut Pastores intrusos, omnique carentes Ecclesiastica iurisdictione teneremur. Tu ipse perspicue, Ven. Frater, agnoscis, non alio nunc spectare ac tendere hodiernorum Novatorum consilia, quam ut Catholicum Nomen aboleant, ut incredulos in sua confirment incredulitate, utque credentes ipsos ad incredulitatem inducant, ad hoc nimirum pulchram praetexentes Libertatis vocem, sed fugacis atque instabilis, et in omnem licentiam erumpentis.

Itaque Nos nequaquam possumus tam pravis non adversari consiliis, quacumque ratione, Deo iuvante,

valebimus. Cumque nunc censeamus, advocandam Nobis esse opem VV. Fratrum Episcoporum, eorum praecipue, qui aditum ad Regem habent, quibusque pronum est optimo eius animo insinuare, ne ad pestifera illa decreta sancienda descendat; idcirco ad Te prae ceteris convertimur, tamquam ad illum, qui ob merita, collectamque inde existimationem, inter primos es illi peracceptus. Minime profecto putamus opus esse, ut Tibi in memoriam hic revocemus officia, quae in Tua consecratione professus es; siquidem non dubitamus, illa ipsa assidue Tuae menti obversari, quorum potissimum ac maximum illud est, ut Regem a fatali sanctione dimoveas, ne seipsum, populosque sibi subiectos a Regno Caelorum excludat.

Non ignoramus profecto, qualis illius praesens sit, quamque commiserandus status, nimirum populari obnoxius violentiae; sed novimus etiam, eius animum a phrenetica multitudine abripi non debere, quae, sacris omnibus conculcatis vinculis, incitata furiis in praeceps proruit. Immutabilia certe sunt sua erga Deum officia, neque umquam ullam ob causam dissimulanda; etiamsi in animo habeat, ut immutatis tam perversis temporibus ad eadem praestanda revertatur. Nos ipsi per huius diei tabellarium ad Regem Nostras familiarem in modum damus Litteras, eumque sui admonemus muneris, ac ad constantiam et fortitudinem, quanta contentione possumus, inducimus. Verum Tu ipse, qui eius ad aures adstas, per vivam vocem multo efficacius agere poteris, quam Nos per mutae scriptionis sermonem. Valde igitur confidimus, ut, Deo adiuvante, optimus consecuturus sit Tuam praestantem operam successus; Nosque a Te illud habeamus responsum, quod maximam afferat in tanta animi Nostri aegritudine consolationem; Tibique Divinum Spiritum, per quem opportuna ac salutaria loquaris, imploran-

tes Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die X. Iulii MDCCXC. Pontificatus Nostri Anno XVI.

PIUS, qui supra (*).

VIII.

VENERABILI FRATRI

IOANNI FRANCISCO

Episcopo Leonensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Mala, quae Gallicanam perturbant Ecclesiam, quaeque acriora in dies Fraternitas Tua pertimescit, e Litteris Tuis diei 28 Iunii accepimus. Tot ausus ad evertendam in potentissimo Regno Catholicam, qua nitebatur ac fulgebat, Religionem excogitati Nos mi-

(*) Die 5 Augusti 1790 respondit Archiepiscopus, stimulis et incitamento se minime indigere, ut ea omnia perageret, quae ad Religionem, ac Ecclesiae iura, et ad Summum Pontificem pertinerent. *Difficilia sane sunt tempora,* dicebat ille, *sed ipse nihil negligam, ut meis officiis omnibus coniunctim et cumulate satisfaciam.* Ignota est causa, cur uterque Archiepiscopus non illico patefaciendum curaverit Confratribus suis, qualis et quam perspicua esset Pontificis Summi sententia super hisce Decretis, eo vel magis, quia Pontificiae Litterae ad utrumque datae satis luculenter prae se ferebant, *advocandam Nobis esse opem VV. Fratrum Episcoporum.* At quaecumque demum causa fuerit, quae certe repetenda numquam erit ex parum incenso in Religionem studio; hoc enim uterque flagrabat; nunc cum haec monumenta prodeunt in lucem, quilibet confiteri debebit, Pontificem tempestive locutum, eiusque sensus super civili Cleri Constitutione semel iam panditos, numquam fuisse dissimiles. *(Not. Edit. an. 1800.)*

nime latebant, eaque animum Nostrum aegritudine afficiunt, ut in tantis huiusce temporis calamitatibus, quibus undique premimur, ac fere obruimur, acerbiorem ac penetrabiliorem nullam experiamur molestiam. At conscii, nulli interim dari locum consilio, quod non videatur periculi plenum, a Patre luminum opem iamdiu efflagitamus, publicis etiam indictis precibus, ut Nostram infirmitatem ad Ecclesiae bonum in hoc discrimine et sustentet, et dirigat, velitque Divinae recordari misericordiae. Neque defuimus excitare Christianissimi Regis pietatem ac fidem, ne tacitus ipse, multoque minus consensione sua scandalis a Nationali Conventu perpetratis ullatenus accedat, quae schismati et errori viam sternunt amplissimam. Opera etiam ad id excitata est Fratrum, quibus Regem facile adire, ac coram alloqui datum est; eos nempe Litteris scriptis vehementi hortatione in Domino, proque munere Nostro rogavimus, ut praesidio sint Ecclesiae, Religioni, Patriae, Regique ipsi, cui Christianissimi titulus carus est et insignis. Deus misericordia sua studia haec Nostra propitius foveat, atque ita Bonorum vota suscipiat, ut impiorum hominum consilia Divina sua virtute confundat ac perdat. Animum interim in Te Nostrum rapuit tum doctrinae integritas, tum sacerdotalis fortitudo, qua ministerium tuum contra novitates a Conventu Nationali initas, omnique legitima auctoritate destitutas, custodire atque exercere statuis: merito enim consideras, nulli esse datum, Sede Apostolica non approbante, Episcopale ministerium vel ad alios fines traducere, vel ad angustiores limites redigere. Qua vero ratione Te geras, ubi externa vis nulla ab Ovibus tuis Te contendat avellere, id charitati tuae nunc praefinire omnino difficile arbitramur: animadvertas enim oportet, boni Pastoris officia modum a tempore, rerumque circumstantiis saepe repetere; ne-

que Te latet, instante tribulatione, Maiores nostros quandoque contraria commendasse consilia, dum alii ultro sese obiecerunt periculis, alii sine praevaricationis nota sese ad tempus subtraxerunt: quapropter Christus Dominus commendata Apostolis suis et simplicitate columbae, et serpentis prudentia, liberos eos voluit a praecogitatione sermonis coram Potestatibus habendi. Ea vero est huius temporis ratio, ac tantus in legitimas Potestates intra Galliae fines impetus furit, ut animus Nobis non videatur posse adiici coadunationi Episcoporum sine maiori dignitatis Sacerdotalis periculo. Haec ad Tuas Litteras, Ven. Frater, rescribenda duximus, cuius virtutes et amamus plurimum, et vehementer suscipimus. Pontificiae vero benevolentiae Nostrae pignus damus Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, Gregique Tuo intimo cordis affectu, ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, pridie nonas Sextiles MDCCXC. Pontificatus Nostri Anno XVI.

Callistus Marinius a Lat. Epist. SSmi.

IX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO

Francorum Regi Christianissimo

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Litterae Maiestatis Tuae per S. R. E. Cardinalem *de Bernis* redditae (*) Nobis testantur, quo sis, Caris-

(*) **Christianissimus Rex hasce Litteras dedit die 28 Iulii 1790.** *(Not. Edit. an. 1800.)*

sime in Christo Fili Noster, erga Religionem obsequio, quo amore in S. Apostolicam Sedem. Veris sane rationibus inductus es ad credendum, Te ad Nos recurrere debuisse, ne aberrares a canonicis regulis, et ab Universalis Ecclesiae disciplina, cum utpote primogenitus eiusdem filius, agnoveris Potestatem spiritualem et temporalem mutuo sibi auxilio esse debere, soliusque Ecclesiae ius esse, excluso quocumque tantum politico Conventu, statuere de spiritualibus rebus, neque idcirco aliud in iisdem ad Potestatem temporalem spectare, quam ut suo adsit subsidio illius exsequendis decretis. Si is inter sacram civilemque Potestatem ordo non servetur, iura necesse est perturbentur omnia, ac tum publicarum rerum confusio, atque schisma in locum inferatur felicis illius concordiae, per quam Fideles universi unanimi inter se consensione coniungantur.

Semper quidem, cum Ecclesia in tempestatum fluctus incideret, per aliquod illa tempus suam ex adverso opponebat patientiam, sed et tunc non nisi firmiter accurateque observandis Catholicis praescriptis inhaerebat. Pari Nos ab aliquot annis in Gallicis rebus usi tolerantia sumus, existimantes non attollendam esse vocem Nostram, neque ad iustam severitatem prorumpendum, dum adhuc animi opinionibus atque erroribus in furorem correpti exardescunt, praeparandasque hunc in modum mentes, ut iis defervescentibus motibus in se redire possint, ac vera credendi principia, retinendasque Evangelicae Legis normas agnoscere.

Fortasse plures ex Tui Regni Episcopis mirati vehementer sunt, quod Nos silentium id Nostrum claro solemnique clamore non adhuc ruperimus, sed ipsa Maiestas Tua certos eos omnes facere potest, quanta Nostra hactenus officia adhibita Tecum fuerint pro tuenda Religione, iam a longo tempore istic tot ve-

nenatis incredulitatis, pravitatisque scriptis oppugnata. Quod si non praedicavimus super tecta, non tamen umquam dissimulavimus veritatem, quoties efficere potuimus, ut ea ad Tui similes supremos Principes perveniret, neque timendum esset, ne altaris Ministris in periculum adductis, nihil tamen Religioni, cuius tamquam instrumenta illi sunt, prodesse possemus. Erige Tu ipse, Carissime in Christo Fili Noster, eorum animos, et hortare in tot adversis rebus ad patientiam, ac ad veram stabilemque voluntatum constantiam in retinendis veris principiis, observandisque Catholicis praescriptis. Et ut dubitari non potest, ea quae in Tuam Ditionem ingruunt mala, a Deo immissa esse, tamquam flagella, quae ille ipse Populis infligit eiusdem Legum obsequio reluctantibus, ita quid tam ab Episcopis praestandum est, quam ut precibus ad Deum suis instare numquam intermittant, quas et Nos assidue fundimus, ut ad misericordiam opemque convertatur Divini Redemptoris ira contra hominum pravitates concitata? Neque enim ulla possunt aliunde sperari tantorum malorum levamina. Praecipua item eorum esse debet pro spiritualibus tuendis iuribus contentio, ne Ecclesiae ipsi adimantur, cui intentatae iam minae sunt; praeque illis minus certe permoveri debent, si ceteris bonis, ac praerogativis exspolientur.

Interea Nos (cum de maximi momenti re agatur) designandam S. R. E. Cardinalium Congregationem decrevimus, ad eiusque diligentissimum examen adducenda ea, quae Nobis Tuae Maiestatis nomine per Cardinalem *de Bernis* proposita sunt. Sed cum haec deliberatio multo plus fortasse retardaret extraordinarii cursoris reditum, quam a Vobis exspectetur; cumque ipse Cardinalis Minister Tuus sollicitet Nos ad respondendum postremis Maiestatis Tuae Litteris, non aliud hodie facere possumus, quam primos hos animi

Nostri sensus Tibi nunciare, ac ad aliud tempus differre ampliorem accuratioremque responsionem Maiestati Tuae, cui interim, unaque universae Augustae Familiae ex intimo corde depromptam Paternam Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XVII. Augusti MDCCXC. Pontificatus Nostri Anno XVI.

Benedictus Stay.

X.

VENERABILI FRATRI

TUSSANO FRANCISCO IOSEPHO

Episcopo Corisopitensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem

Acrem, in qua versamur, de Galliae rebus amaritudinem cordis acuunt Fraternitatis tuae Litterae die II. Iulii ad Nos datae; graviter enim scripta ferunt maxima discrimina, in quae Catholica Religio per Regni fines saeculi licentia adducta est. Deus, cui aperta sunt omnia, animi Nostri studium noscit, ut in tanto periculo nullum defugiamus Apostolicae servitutis officium, quo Religionis integritati, dignitati Episcoporum, totiusque Regni tranquillitati Catholica fide iamdiu florentissimi consulamus. Sed quae ineunda sint in tam effreni rerum subversione consilia statuere hodierna die nequimus: ad cognoscendas enim novas res, quibus Gallicanae Ecclesiae conditio est impetita, consilium, uti in more est positum, a Cardinalium Congregatio-

ne iam exquisivimus; responsum, quod deinde a Fratribus accepturi erimus, modum ac rationem statuet deliberationi Nostrae, quam significabimus Christianissimo Regi, qui eam a Nobis postulat, atque omnibus Regni partibus optat communem. Rationem hinc tenes, Ven. Frater, quae Nobis causa gravissima est, cur ab omni, quam extra ordinem postulas, Tibi impartienda facultate nunc abstineamus; interim vehementer probamus animi tui fortitudinem, ac Religionem, quam Litteris tuis egregium in modum profiteris, ne fines Tibi constitutos ulla externa vi atque illegitima auctoritate permotus custodire negligas. Deus ineffabili misericordia sua, quo periculosiora instant tempora, eo praestantiorem Pastorum in dies efficiat virtutem; in quem finem munere adsumus Apostolicae Benedictionis, quam Tibi, Ven. Frater, Gregique tuo effusa charitate, atque ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Calendis Septembris MDCCXC. Pontificatus Nostri Anno XVI.

Callistus Marinius
a Latinis Epistolis SSmi. (*)

(*) Declarat Episcopus in Litteris ad Pontificem datis, notos luculenter esse atque exploratos apud omnes Galliarum Episcopos cum Summi Pontificis sensus adversus Decreta huiusmodi, tum illius gemitus, curas, sollicitudines, ac deprecationes, ut opportuna tam ingenti morbo remedia adhiberet. En eius verba: *Quem Nostrum latet, quibus votis, quibus gemitibus, quibus remediis infortunia nostra innumera curare, atque imprimis in hoc Francorum Imperium Apostolicae Sedi tam olim addictum antiquam Fidem iam prope exstinctam revocare conetur charitas illa Vestra, et sollicitudo vere paterna? O utinam diutius non obdurentur corda nostra! (Not. Edit. an. 1800.)*

XI.

VENERABILI FRATRI

LUDOVICO CAROLO

Episcopo Ambianensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Multis quidem calamitatibus, quae gravius efficiunt Apostolicae Servitutis officium infirmitati nostrae divina dispositione delatum, postrema accessit omnium acerbissima, quae a misera Galliarum perturbatione ortum ducit, atque incrementum. Ut autem in tanto Regni periculo opem pro munere nostro feramus, primum a publicis privatisque precibus ad Patrem misericordiarum habendis numquam cessavimus, deinde neque consilia Sapientum negleximus: in quem finem nolumus Te lateat, Ven. Frater, Nos Cardinalium Congregationem delegisse, quae super postulationibus a Christianissimo Rege nobis delatis referat, quale consilium, qualisque ratio sit ineunda. Cum autem de re agatur gravissima ac implexa, quae maturam exposcit enucleationem, ne praetergrediantur fines a Praedecessoribus Nostris constituti, nullum adhuc a Cardinalibus responsum accepimus: unde cum petitio Tua insit in iis, quae Rex a Nobis exspectat, nimirum ut Episcopis generale concedatur Indultum dispensandi in canonicis impedimentis matrimonialibus, ita ad Litteras tuas diei XIII. elapsi Augusti amplam, quam postulas, responsionem differre cogimur. Verum cum summa sit in Te charitas nostra, et existimatio ob

praeclarum tuum erga Apostolicam Sedem studium, et adhaesionem, hinc lubenti animo, in casu tantum a Te proposito, facultatem concedimus dispensandi auctoritate Nostra ab impedimento secundi consanguinitatis gradus in linea collaterali cum viro Dioecesis tuae, quem morae impatientem id apud Te nunc urgere Litteris tuis retulisti. Fraternitati vero tuae, quam impenso amore prosequimur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, VI. Idus Septembris MDCCXC. Pontificatus Nostri Anno XVI.

Callistus Marinius
a Latinis Epistolis SSmi.

XII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO

Francorum Regi Christianissimo

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Intimo ingemiscimus corde, dum cogitamus, Maiestatem Tuam adigi horum vi imperioque temporum ad vulganda Conventus Nationalis Decreta, quibus tuam ipsam sanctionem adieceras, antequam ad Nos rem deferres, ac a Nobis rationem aliquam peteres, qua et conscientiis consuli posset, et dissensionum scandala inter Catholicos vitari, et prope iam irreparabilia schismatis mala praecaveri.

Verum ex quo regnat Maiestas Tua, cum magis magisque intelligamus, quo animatus sis Religionis

sensu, qua in Apostolicam Sedem devotione, ac filiali erga Nos affectu, Noster maiorem in modum augetur in Nobis, cumulaturque dolor, videntibus talem tantumque Monarcham violentis coactum esse subscribere eius Conventus actibus, per quos ad Catholicam evertendam Religionem contenditur.

Si satis instructus esses, ut per Te ipsum agnosceres, omnes Disciplinae articuli, sacris canonum legibus, Ecclesiae Gallicanae sensibus, nec non et Catholicae Ecclesiae principiis consentanei, quam propius accedant ad dogma ipsum, ac pene attingant Religionis vim ac naturam, statim profecto pateret Tibi, per eas novitates quaeri, ut augusto nomine Tuo praetexatur audacissimum id facinus, quod adhuc, etsi palam non profertur, tamen ipsa animorum incredulitate, ac huius saeculi contumacia fit, ut maxime sit formidandum. Nunc praecipue, Carissime in Christo Fili Noster, in memoriam Tibi redige, Deum esse tuum et Creatorem et Iudicem, Eumque augustos Maiores tuos vel in mediis rerum tempestatibus per tot saecula salvos esse voluisse, ac talem pariter confide erga Te futurum, si quemadmodum illi fuerunt, in Eius legum fide perstiteris, excitaturumque esse antiquum in tuorum Populorum cordibus amorem Tui, ex quo singularis semper et in illos gloria, et in Galliae Regnum securitas, ac potentia emanabat.

Mirari Maiestas Tua videtur, quod revertente istuc cursore extraordinario, quem ad Cardinalem *de Bernis* miseras, tuis non responderimus praecipuis postulatis, quae idem Cardinalis ad Nos Tuo detulerat nomine. At nos Tibi certo asseverare possumus, nullum a Nobis vel momentum temporis praetermissum esse, in quo non prae oculis haberemus adeo grave ac difficile, de quo agebas, negotium. Nulla idcirco interposita mora ad viginti Cardinales a Nobis electos, ac

ad Theologos, et Canonistas ab iisdem consulendos remittere, quae ad eam rem spectarent, documenta voluimus, quae certe dum pluribus multiplicari exemplis opus erat, nonnihil temporis effluxerat. Idem ipse cardinalis Minister apud Nos Tuus Nobis plura, quae istuc pertinerent, singillatim declarare debuit, quae cognoscere aliunde non potuissemus. Instare ille quidem summopere non desistebat apud Nos ut summo desiderio Tuo celeriter satisfaceremus, sed una etiam per se ipsum intelligebat, numquam Nos ab illa occupatione cessasse, cum de re ageretur, ex qua magna possent, quae non facile statim in conspectum caderent, momenta consequi.

Ut S. Petri Successor ad declarandam post mature peractum examen doctrinam devenire possit, certum eum esse oportet primi Pastoris voci docilitatem audientium non defuturam. At quis Nobis huius fidem docilitatis faciat hoc tumultus, furoris, delirii tempore? Quisnam ex enunciationibus Nostris maline plus, an boni emanaturum sit, affirmet? Certe, ut nunc in Gallia comparati sunt animi, multo plus mali Nobis est timendum, quam sperandum boni.

Omnia amissa reputari, ac perdita deberent, si Centrum Unitatis vim suam, atque in animos influxum amitteret. Haec atque alia praeterea non minus gravia si Ipse consideres, facile existimare poteris, quam necessario serium ac maturum examen interponendum sit. Cardinalium Congregatio habebitur die 24 huius Mensis. Eorum singuli ex scripto suam sententiam proferent. Nos tum illarum quasque revocabimus ad Nostram religionis, prudentiae, ac de pace, et concordia studii trutinam, a Deoque precabimur, ut suo caelesti splendore Nobis adsit, Nosque illuminet.

Inter haec peragenda iustam sane improbationem retinemus in suspenso super decretis Status Civilis

Cleri. Noster in Te amor, Nostra in Regnum tuum animi inductio tenendam Nobis suadet singularem moderationis viam. Numquam profecto obliviscemur, Nos communis parentis personam gerere, Tuosque subditos in filiorum numero habere, Te vero filium esse Ecclesiae primogenitum, proindeque Nos paternae charitatis putamus defuturos muneri, si tam subito ad Ecclesiae arma convolabimus contra eos filios, qui decepti, inconsideratoque impetu correpti potius dicendi sunt, quam rebelles, ac refractarii. Nostra Nos patientia contra furores pugnabimus, animorum mobilitati, atque inconstantiae lenitatem cunctationemque opponemus; caelestique Domini praesidio confidimus fore, ut sine ullo graviore clamorum strepitu Religio ipsa, quae adeo ad vitae felicitatem, ad rectum rerum ordinem, ac ad societatum coniunctionem est necessaria, reviviscat, ac inflammetur in eorum cordibus, quos ipsae ad officium revocabunt aerumnae, in quas misere inciderunt, ex quo ipsam negligere Religionem, ac saepe etiam contumeliis afficere sunt ausi. Ita siquidem Nobis pollicemur futurum, ut vota, quibus inflammamur, ad optatissimum tandem exitum deducantur.

Nos praeterea tui Regni Episcopos hortabimur ad Nos ipsos cum fiducia compellandos, ut eorum respondere sollicitudini, eisque declarare valeamus quidquid aptius esse iudicabimus ad eos in rectis stabiliendos sententiis, ita tamen, ut ab omni pacis turbatione caveatur, neque ulli possint tumultus, infestationesque excitari, quae omnino et praecurrerent schismati, et illud ipsum consequerentur. Tu ipse pariter, Carissime in Christo Fili Noster, eosdem hortari non omittas, ut Nobiscum conveniant ad reparanda, dum adhuc medicinam pati possunt, mala. Hunc in modum dabunt aberrantibus animis spatium ad se in viam re-

vocandum, ad rationem reducent populos exemplis cum virtutum suarum et charitatis, tum et constantiae ac fortitudinis. Cum illis arctius coniuncti, multo fortasse faciliores reperiemus et ad restituenda praeterita, et ad futura recte constabilienda rationes. Fratres Nostri sunt Episcopi; consilia igitur Nobiscum inire, ad Nosque in tantis suarum rerum, ac temporum angustiis confugere non vereantur.

In hunc potius modum regenda Nobis res est, quam ullae adhibendae provisionales facultates, per quas satis erit factum nemini, contraque patefiet aditus ad certo subvertendam Catholicae Ecclesiae Disciplinam, Hierarchiam, Iurisdictionem; dum adhuc Deum conversurum esse corda, mentesque collustraturum minime sit desperandum.

Si Deus ipse post consultationem cum magna Sacri Collegii parte habitam, Nobis in animum immiserit, quod et efficax esse, et suae sapientiae consentiens videatur, illud Nos perlibenter adhibebimus, communicato tamen prius consilio cum Tua Regia Maiestate; cui interim, ut et universae Augustae Familiae Tuae paternam et Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXII. Septembris MDCCXC. Pontificatus Nostri Anno XVI.

Benedictus Stay.

XIII.

VENERABILI FRATRI

IOSEPHO

Episcopo Basileensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Nihil maiores hoc tempore in animo Nostro sollicitudines excitat, Venerabilis Frater, quam quae decreta in comitiis Nationis Gallicae facta de episcopalibus sedibus ac dioecesibus ad nos perferuntur. Hoc ipsum ex tuis Litteris die XI Novembris datis agnoscimus, Te in maximas itidem coniecisse anxietates, cum in tot sacrarum rerum perturbationibus valde timeas, ne quid eiusmodi in tuae dioecesis partem, quae in Alsatia est, cum plurimo animarum periculo extendatur. Proinde ad Apostolicam Sedem in hisce tuis angustiis confugis, Nobisque nonnullas dubitationes proponis, ad quas dissolvendas antequam accedamus, illud primum dicimus, nullas hactenus ad Nos illinc postulationes esse relatas, ut legitime, scilicet Nobis consentientibus, novus pro Alsatia superiori Episcopus eligeretur; neque, si postulabitur, Nos facile animum esse Nostrum ad hunc assensum, prout nunc res sunt, inducturos.

Quod si Episcopus aliquis novo modo illegitimo, nimirum sine consensu nostro, ac Apostolicae sedis auctoritate institutus, ac in eas regiones inductus seu intrusus fuerit, facile per Te ipsum intelligere potes, V. F., per hanc novam sedis episcopalis erectionem minime futurum, ut Tua, quam nunc habes in supe-

riorem Alsatiam, Tibi sit adempta iurisdictio; neque propterea tunc novus ille Episcopus ea quae episcopalis potestatis sunt, licite ac valide exercere poterit, cum in novis constituendis sedibus consensus Noster omnino requiratur. In tantum absit, ut Nos eundem praestiterimus, quemadmodum nonnullos istic audacter asseverare scribis, ut etiam in posterum, in tali, qualis nunc est, rerum statu, praestituri numquam simus. Ex his habes iam, V. F., accuratum ad Tua postulata responsum, ex quo Tibi prorsus persuadeas cupimus, alienos Nos esse a dioecesium limitibus, antiquisque Ecclesiarum iuribus commovendis perturbandisque sine gravissima causa, quaeque vel ipsos Episcopos ad consentiendum inducere debeat. Interim nunc in hoc unum consentiamus omnes, ut per non intermissas obsecrationes propitium reddamus omnipotentem Deum, qui Ecclesiae suae tot tantisque iactatae horum temporum procellis, per suam misericordiam consulat, Nosque ad gubernacula sedentes suo consilii et fortitudinis Spiritu muniat et confirmet: Tibique, V. F., Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XI. Decembris MDCCXC. Pontificatus Nostri Anno XVI.

Benedictus Stay.

XIV.

ABBATISSAE MONASTERII OPPIDI AEMILIANI

Reverendissima Mater.

Infelix rerum status, in quo Galliarum Clerus, Ordinesque Religiosi versantur, quemque vivis coloribus depictum Tuae exhibent Litterae ad Summum Ponti-

ficem datae die 9 superioris mensis, a sui usque initio in causa fuit, cur paternus illius animus gravissimo aegritudinis ac doloris sensu afficeretur. Hinc neque curis ullis, neque ulli sollicitudinum generi pepercit umquam, quo divina favente ope, non sine lacrimis, et per publicas etiam preces implorata, a florentissimo isto Regno periculum, quam longissime posset, averteret, ne Clerus, ne Ordines Religiosi, ne Catholica Religio ipsa everteretur: huc enim unice spectant omnes Reformatorum Philosophorum conatus.

In tali ac tanto spiritus sui moerore, illud profecto non levi Pontificem Summum consolatione lenivit, quod non pauci ex Episcopis, pluresque Religiosorum Ordinum Praesides utriusque sexus, horribilem tempestatem constanti animo tolerantes, promptos se ac paratos prae se ferrent infortuniis omnibus subeundis, suorumque munerum officiis christiana constantia defungendis. Hos inter Tu sane non ultimo loco esse videris; quippe quae eos prae Te fers sensus, ut sacratissimi Principis animum gaudio et exsultatione perfuderint. Quemadmodum autem is numquam hactenus destitit eos hortari, docere, ac iuvare, qui de suarum conscientiarum quiete nanciscenda solliciti, tutumque habendi ducem percupidi, ad se eo, quo decet, obsequio ac fiducia perfugerint, tamquam ad Magistrum, ad communem Fidelium Patrem, ad Eum, penes quem summa est Ecclesiasticae potestatis auctoritas: ita eandem prorsus volens Tecum quoque rationem iniri, me iussit tamquam *Poenitentiarium Maiorem* in re, quae ad conscientiam maxime pertinet, Tuis rescribere Litteris, ac Tuum praesertim, quo in Religionem aestuas, studium commendare; laudibus enim potius ibi, quam hortationum stimulis locus est, ubi quis ita animo est comparatus, ut sua omnia, seque ipsum devoveat, ne suo muneri desit. Pater mi-

sericordiarum, et Deus totius consolationis Tibi certe praesto erit, convertetque planctum Tuum in gaudium Tibi, ubi Tuam virtutem, quae in infirmitate perficitur, per tribulationes et angustias exploraverit.

Ad quaestionem autem quod attinet, quam dilucide Tibi postulas enodari atque explicari, me item iussit, in hunc sane modum suo prorsus nomine his Te verbis commonefacere. Si octava die proximi huiusce mensis et anni, istuc accesserit Officialis municipalis ad novam Abbatissam, et Oeconomam eligendam, ut fert ultimum illud Decretum, quod tu commemoras, Tibi, Tuisque Correligiosis id curae erit, ut quantum fieri poterit, novitati huic prudenter modesteque obsistatis, eidem Officiali debita animi submissione significantes, id vestris Regulis et Constitutionibus adversari, quas inter amplectendum Institutum vestrum iurastis Deo sancte religioseque servaturas.

Verum si fiat, ut frustra nitentibus Vobis, quod sane timendum est, vis aliqua adhibeatur, ita ut ad novam huiusmodi electionem cogamini, tunc Sanctitas Sua, ne maiora mala subsequantur, facultatem Tibi, Tuisque Correligiosis impertitur ad huiusmodi novam electionem deveniendi, ita tamen ut, si fieri id possit, Tu ipsa in Abbatissam eligaris : qua in re facienda vult ipse, ut hac necessitate durante, nec Regulae, nec Constitutiones vestrae ullo vobis esse possint impedimento.

Hac ratione facile Tibi erit in eo, in quo moraris, permanere loco, et illa solemnia vota religiose servare, quibus Te Deo devovisti; nec opus erit, ut ad remotas orbis partes, ad quas secedas, animum aut cogitationem convertas; id enim debet esse extremae tantum necessitatis remedium, ubi nempe vobis omnis prorsus sit adempta facultas manendi in ea vocatione, in qua vocatae estis, ubi benevolum nanciscamini Re-

ceptorem, ubi denique Ecclesiasticorum Praesidum approbatio, et Apostolicae Sedis ad id accesserit venia, iis scilicet omnibus servatis cautelis, quas docte sapienterque explicavit Summus item Pontifex in suis Litteris in forma Brevis ad Episcopum Brunensem Vindebonae datis pridie Idus Aprilis anni 1782 (1).

(1) Hae Litterae, utpote maximi momenti pro Religiosis Gallicanis utriusque sexus, hic subiiciuntur. (*Not. Edit. an. 1800*).

VENERABILI FRATRI

MATHIAE

Brunensium Episcopo

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ex Litteris quas VI. Nonas Martii, ac iterum III. Nonas Aprilis ad Nos dedisti, gravem moeroris causam accepimus. Dolenda quidem res est, quae nonnullos Regularium Ordines huc illucque submovet, ac viros Religiosos, sacrasque Virgines deiicit a Monasteriis.

Sed nimis properasse Te arbitramur ea Declaratione, quae Monachos Carthusianos Tua in Dioecesi, statim a propriis Legibus statutisque liberos solutosque renuntiat, ut conditionem statumque Presbyterorum saecularium illico inire valeant. Generalis haec namque Declaratio, quae inscia prorsus Sede Apostolica, Tibi, Ven. Frater, opportuna malis visa est, Nobis cum intempestiva, tum periculi plena videtur.

Curandum imprimis est, ut omnes in vocatione sua permaneant, ideoque in alia, vel proprii, vel alterius instituti Monasteria se recipiant, ubi vota solemnia, quibus vitam Deo consecrarunt, rite recteque persolvant. Nulla rerum humanarum ratio, quam Te, in Monachorum causa, prae oculis habuisse scribis, sed una conscientiae et salutis cura habenda est.

Haec sane verbis nostris dicito iis ad quos pertinet, eosque confirma, si a proposito declinare cognoscas. Ac si forte cuipiam accidat, ut receptorem sibi nequeat invenire, in hoc tantum infortunio sinimus eum tamdiu in statu Presbyteri saecularis permanere, quamdiu ita vivere sola necessitate cogetur.

Vellet sane Pontifex Summus ea, qua praestat, magnanimitate vestris quoque indigentiis opem atque auxilium ferre. Sed cum fieri omnino non possit, ut omnium Galliarum coenobiorum, et monasteriorum occurratur inopiae; cum omnibus enim aequo modo actum esse conscribis; nil aliud est reliqui, nisi ut ipsius Summi Pontificis nomine Te etiam atque etiam exhorter, ut ea tantum vitae subsidia comparetis, quae praesentium rerum sinunt angustiae, utque totis viribus, et unanimi simul consensione enixas ad Deum preces fundendas curetis, quo Pater Luminum eas mentes sua luce perfundat, quae modo in alta tenebrarum caligine versantur, eumque novarum rerum ordinem seriemque quamprimum inducat, quam non longe abesse Tua vota pollicentur.

Sed quisque debet versari in saeculo, memor vocationis suae, eiusque tenax disciplinae et vitae Regularis, cui se pridem adscripserit, Vota solemnia, quae semper firma, semperque immota permanebunt, custodiat et servet. Sacrilegium profecto esset, si quid a purissima castitatis obligatione detraheretur. Studio etiam paupertatis, quantum pro nova vivendi ratione fas erit, omnes addicti sint, ut fallaci terrestrium cupiditate immunem laetumque animum prae se ferant. Obedientiam quoque praestent Episcopo, et sub veste signum aliquod gerant Regularis Professionis, ne ex hac revera exiisse videantur.

Habes itaque Sententiam Nostram, ad quam omnia consilia componere debes. Hinc facile intelliges Nos minime iis assentiri, qui Dispensationem a Votis solemnibus postulant, ut carnales nuptias contrahant, vel condere valeant testamenta.

Cave igitur ne Dispensatio huiusmodi, qua decor et pulchritudo Domus Dei pollueretur, audiri contingat in Ecclesia. Neque tu potes iure ordinario concedere, ut recte cogitas, neque Nos tibi eius tribuendae ius vel potestatem delegamus.

Itaque esto memor Sacerdotii tui, et macte animo, ut assiduis ad Deum precibus, validam Nobis opem impetrare coneris. Optima hac spe, tibi, Ven. Frater, atque Ovibus fidei tuae commissis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Vindebonae, pridie Idus Aprilis MDCCLXXXII, Pontificatus Nostri Anno VIII.

Hi profecto sunt Pontificis Optimi Maximi in Te animi sensus. Reliquum est, ut ego quoque patefaciam Tibi observantiam in Te meam; Tui enim sum

Rm̃a Mater

Romae, die XV. Decembris MDCCXC.

Servitor

F. X. Card. de Zelada.

XV.

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE

CARLOTTAE DUHAN DE BUNIERIA

Abbatissae Ecclesiae S. Goerii

PIUS PAPA VI.

Dilecta in Christo Filia, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae sit ecclesiae tuae, dilecta in Christo Filia, conditio, quae te, totamque religiosam communitatem tuis creditam curis premant angustiae, e litteris tuis intelleximus, ac nova moeroris causa accessit apostolici officii servituti, quam acerbiorem in diem experimur. Deus, cui aperta sunt omnia, atque perspicua, sollicitudines noscit, quibus diu noctuque distinemur, ut tot Galliae malis aliqua idonea afferatur medicina, ac rerum saltem mitescant perturbationes, quae regnum olim florentissimum, ac catholica religione spectatissimum in discrimen adducunt; in quem finem et publicis et privatis precibus iamdiu coram Deo ingemiscere non cessamus. Humanae infirmitati datum adhuc non est tempus et modum praenoscere, quo finem tribulationi impositurus sit Deus, ad quem nullus in compunctione cordis supplices frustra protendit manus. Nos interim maximis hac de causa animi angustiis pressos omni

destitui solatio misericordia sua non sinit; lenimentum nempe dolorum acerbitati affert mirifica tot virorum ac mulierum de ecclesiastico praesertim coetu constantia, ut in officio persistant, catholicae fidei integritatem diligant ac palam profiteantur, atque sanctarum ecclesiarum iura intemerata studeant, quantum licet, custodire; quorum numero locum, et quidem conspicuum, dandum arbitramur tibi, dilecta in Christo Filia, alumnisque tuis, quae in deliciis habent sanctas, quibus assueverunt, disciplinas, omnemque a se longe abiiciunt cogitationem eas deserendi.

Nos vehementer probamus consilium a te, atque a congregatione tua susceptum, ne posteritatem lateret vis, quae in bona istius ecclesiae, in religiosae domus institutionem, probatosque eius ritus illata est, tuaeque erit solertiae, editae declarationis actum, quando novae, quod Deus avertat, turbae accidant, renovare, ubi id sine tuo, tuarumque alumnarum periculo liceat. Probamus item ingenium, quod adhibes, ut divinae laudes in ecclesia tua, uti antea, celebrentur, etsi id perficere coacta sis ianuis clausis, nulloque dato publico signo; quod ut aequiori ferant animo alumnae tuae, ac ferventiori erga Deum charitate in dies inflammentur, ad earum memoriam rediges, apostolos fuisse a Christo Domino clausis ianuis praesentia sua recreatos. Volumus interim, ut eas verbis consolationis nomine Nostro alloquaris, ut constantes sint in sancto proposito, eoque in Deum firmiori spe se erigant, quo imbecilliora humana videntur praesidia; tibique, dilecta in Christo Filia, totique congregationi tuae, quam impensa prosequimur charitate, apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum XI. calend. Februarias MDCCXCI, Pontificatus Nostri anno XVI.

Callistus Marinius a Lat. Epist. SSmi.

XVI.

DILECTO FILIO

THOUMINO DESVAUSPONS

Vicario Generali Ecclesiae Dolensis

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem. (*)

Rapiunt animum Nostrum mirifica Religionis ac disciplinae argumenta, quibus praeditae sunt Litterae, die 26 mensis Decembris proxime elapsi ad Nos scriptae:

(*) D. *Desvauspons* electus fuerat ad novam Episcopalem Sedem *Vallis Guidonis*. Conventus autem Electoralis non ignorans eum, non sine maxima difficultate, ad id adductum iri ut electioni suae consentiret, Dolum ex sinu suo duos viros misit, qui eum de illa certiorem facerent, et ad eius consensum obtinendum nihil intentatum relinquerent. D. *Desvauspons* omnibus illorum sollicitationibus fortiter restitit, eisque Electorali Conventui exhibendas tradidit Litteras, quibus Episcopatum omnino renuebat. Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus Dolensis, cum, die subsequenti quae per noctem acta fuerant rescivisset, apud D. *Desvauspons* cito se contulit, et variis rationibus ex utilitate Ecclesiae desumptis commotus, omni auctoritate sua usus est, ad eum inducendum ut provisorio saltem modo, et dependenter a consensu Summi Pontificis, electioni suae consentiret. Idem Episcopus statim ad Conventum Electoralem *Valle Guidonis* congregatum rescripsit, et misit nuncium, qui Vicarium Generalem electioni consensum praebere significaret. D. *Desvauspons* nullas etiam interposuit moras, quominus ad summum Pontificem amplam scriberet Epistolam, in qua electionis suae circumstantias, rationes quibus ipsius Episcopus ad talem agendi modum inductus fuerat, suam repugnantiam et praesertim hanc, quae ipsi inerat mentem, omnino consiliis ac praeceptis Summi Pontificis obtemperandi, evolvebat. Hac igitur Epistola in forma Brevis Summus Pontifex ad eum respondit. Duodecimo autem die, priusquam illam reciperet, iam miserat *Vallem Guidonis* Litteras, quibus dimissionem suam significabat. *(Not. Edit. an. 1800.)*

sed prae ceteris, spiritali Nos delectatione affecit praeclarae docilitatis studium, quod multum a Te egregie cultam doctrinam ornat, ac reddit commendabiliorem.

Omnes Litterarum Tuarum partes, Dilecte Fili, serio perpendimus, nullaque circumstantia Nos fugit conditionis, quam Tibi ne cogitanti quidem oblatam intelligimus. Sed nulla Nobis occurrit causa, cur non confirmemus, maximaque laude prosequamur propositum, quod illico suscepisti, ut nullum praeberes assensum, sed omnino proclamationem abiiceres, ac respueres, uti peractam contra omnes iamdiu receptas probatasque Ecclesiae formas: dissensus enim Tuus, uti animo statuisti atque declarasti, ubi eum firmum immotumque teneas ac promulges, egregium in modum reipsa comprobabit, Te sacrarum sanctionum esse memorem, simulque futuris molestiis praecludet aditum, quae vel Religionis integritatem, vel animi Tui fortitudinem in discrimen adducerent.

Quod vero Antistitis Tui permovebat animum, id Nos quoque, pro gravi ipsius Antistitis iudicio, quem fraterna charitate prosequimur, serio mente revolvimus; sed a primo recusationis proposito nullo modo Te removendum in Domino arbitramur, atque admonemus: omni enim huiusce generis commoditati anteponendum agnoscimus emolumentum, quod videtur exspectandum ab constanti recusatione Tua, cum quaelibet disciplinae relaxatio perniciosa evaderet in tanta opinionum licentia ac perversitate. Immo id boni ab hac deliberatione Tua in vulgus edita sperandum videtur, ut, divina adiuvante misericordia, qui ad sanctas tuendas Ecclesiae disciplinas propensi iam sunt, Tui Nominis fama perculsi, in recto proposito persistant, magis ac magis roborentur; qui vero misere ab officio deflecterent, ii exemplo recusationis Tuae exanimati, facilius ab inceptis desistant.

Haec, Dilecte Fili, ad Litteras Tuas, nulla interposita mora, scribenda duximus. Certa nos spes tenet fore, ut ita etiam in posterum Te praebeas, ut iustam habeamus a te commendationis ac laetitiae causam. Nos interim, quibus iucunda abs dubio fuit in hac urbe praesentia Tua, vehementer probamus ingenii Tui curas, ac studia ad Religionem tuendam iamdiu conversa, eaque dum contendis perficere, uti ferunt Litterae Tuae, nobis, Tuoque Antistiti monstrabit Deus, quam in Dominicae Vineae cultu Tibi daturus sit partem: Tibique, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem intimo cordis affectu ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, IV Nonas Februarias MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVI.

Callistus Marinius
a Latinis Epistolis SSmi.

XVII.

VENERABILI FRATRI

ALEONI

Episcopo Tolonensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Doloris lacrimae quibus scriptae fuerunt postremae Litterae Tuae diei 17 Ianuarii, dum eas legimus, cum Nostris permistae sunt et confusae. Nos vehementer tecum coram Deo diu noctuque ingemiscimus Ecclesiae malis, quae saeculi improbitas reddit in dies acerbiora. Nulli parcimus labori, ut procurationis Nostrae munera compleamus a Deo exspectantes beatam repromis-

sionem, quam pollicitus est Ecclesiae suae, ne in pressuris atque angustiis succumbat. Interim Nostram sustentat infirmitatem, lenitque animi amaritudinem Antistitum Galliae virtus, qui strenue pro sanctis stant disciplinis, ac Canonicarum Sanctionum se praebent zelatores eximios, quos omnes nunc spectaculum veluti factos Angelis et hominibus hortari in Domino non cessamus, ut constantiae ac fortitudinis pergant praebere documenta, ac dum charitate in omnes praelucere student, Ecclesiae addant pulchritudinem, atque hostium devincant duritiam. Horum numero locum conspicuum iamdiu Tibi dandum cognovimus, ac eundem Tibi vindicant ipsaemet Litterae Tuae, quibus intelligimus per epistolas Oves Tuas omni studio Te hortari, atque admonere, ne ab officio deflectant, quum eas coram alloqui prudens non videatur consilium. Neque Te deterreat multitudo eorum, quos de Clero Tuo ad saeculi partes deflectere animadvertis. Quum enim in tanta Reipublicae perturbatione, ac seductionis arte praevaricatio haec potius ad animi trepidationem, quam ad obduratam cordis pravitatem referenda sit, de eorum correptione bene sperandum videtur, ubi praesertim pastoralem virgam a mansuetudine minime disiunctam in eos sapienter adhibeas. Quod sane consilium, ut firmior Tibi sit bene sperandi animus, reipsa confirmat non exiguus eorum numerus, quos in aliis Galliarum Dioecesibus suae aberrationis iam poenituisse intelligimus. Deus misericordiarum maiori Te in dies virtute muniat ad perferendas horum temporum calamitates; Fraternitatique tuae, quam enixo amore prosequimur, Apostolicam Benedictionem intimo cordis affectu, ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum V. Idus Februarias MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVI.

Callistus Marinius a Lat. Epist. SSmi.

XVIII.

DILECTIS IN CHRISTO FILIABUS

ANNAE MAGDALENAE CHALMETTE
MARIAE XAVERIAE DE TILLET
THERESIAE IOSEPHINAE DE NOLLENT

Praefectis Congregationis Visitationis
B. Mariae Virginis

PIUS PAPA VI.

Dilectae in Christo Filiae, salutem et apostolicam benedictionem.

Incompertum Nobis non erat, dilectae in Christo Filiae, praeclarum religionis studium, quo vos cum alumnis vestris praecellitis; sed litterae nomine totius Congregationis die prima Novembris ad Nos scriptae, maiorem id confirmant in modum. Earum lectio ita nostrum rapuit animum, ut nulla sit laus, quam virtuti vestrae dandam non arbitremur. In tantis enim reipublicae perturbationibus, a quibus res nulla religioni, vel pietati sacra tuta videtur ac secura, nuncium iucundissimum a vobis ultro accepimus de forti animo, quo vestro adhaerere Instituto statuistis, cui eo impensius adiuvante Domino vos addictas esse ac fore intelligimus, quo rerum caducarum praesidiis magis destitutum, atque omnino privatum pertimescitis. Divina virtus sanctum in vos roboret propositum, atque augeat in dies, quod Ecclesiae annalibus ornamentum, vestrae congregationi commendationem addit, atque Apostolicae Sedis in vos cumulatiorem reddit benevolentiam. Spem Nostram ad Deum et privatis et publicis precibus eo ardentius convertimus, quo infirmiora humana agnoscuntur consilia ad compescen-

da Ecclesiee mala, quibus affligimur. In eundem finem vestrarum orationum postulamus praesidium, atque Nobis non defuturum speramus: interim sanctam, quam geritis voluntatem, munere communimus apostolicae benedictionis, quam vobis, dilectae in Christo Filiae, alumnisque vestris impensa charitate, atque intimo cordis affectu amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum XVI. calend. Martias MDCCXCI, Pontificatus Nostri anno XVI.

Callistus Marinius
a Latinis Epistolis SSmi.

XIX.

DILECTO FILIO NOSTRO

STEPHANO CAROLO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DE LOMENIE DE BRIENNE

Archiepiscopo Senonensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Priores Litterae Tuae a Te datae VII. Cal. Dec. ad Nos eo pervenerunt tempore, quo revolvebamus complurium Galliae Episcoporum sensus expositos super Decreto Conventus Nationalis Clerum attingente. Ipsi siquidem in unum coacti ad numerum usque triginta ad Sanctam hanc Sedem confugerant, quod abs Te quoque factum fuit, tamquam ad Magistram, ut per ipsam instruerentur, quid sibi facto opus esset, adversus tot, ac tanta civilis potestatis molimina. Neminem enim fugere poterat per illud Decretum hactenus inter Catholicos prorsus inauditum, emancipari, et in servi-

tutem redigi eam, quae domina semper in isto regno fuit, Catholicam Religionem, unaque opera exspoliari Ecclesiam suis bonis, ministris, et iuribus, quae magis sacra atque intemerata putanda sunt.

Vix Tuas istas Litteras legimus, non potuimus equidem statim non intelligere, planeque cognoscere, quantum sententia Tua a pura et recta, cum Nostra, tum Collegarum Tuorum sententia dissidet. Nostram autem augebat suspicionem rumor quidam, qui ad Nos perferebat non parum adhaerescere Te Novatoribus, eorumque consilia fovere. Hinc duplici ex causa distulimus Tibi rescribere; tum quia eadem illa responsio, quam ad Episcopos assiduo quidem studio tunc parabamus, Tibi quoque poterat esse communis; tum quia nolebamus sane Tuam agendi rationem coarguere, Teque de aliqua culpa postulare, antequam Nobis, quod de Te vulgabatur, certis probationibus constitisset.

Cum iam in exitu erat responsio Nostra ad Episcopos, quae Tuis etiam petitionibus erat accommodata, et cum res a Te recenter gestae ad Nos perferebantur, venerunt, praeter omnem exspectationem, alterae Tuae Litterae datae pridie Cal. Febr., quibus prae Te ferens parvi aestimari a Te contrariam maioris partis Gallicanorum Episcoporum opinionem, et quoddam praetexens excogitatae necessitatis imperium, haec Nobis significabas: « Novum presbyterium in Ecclesia Ca» thedrali decrevisse Te constituere; partibus iis etiam, » quae recenter in Dioecesim transierunt Tuam, prout » necessitas erat, per Te provisum fuisse: sacramentum » dixisse a Nationali Conventu propositum: sacramen» tum huiusmodi (cuius ad Nos misisti exemplum) » *non pro assensu animi* habendum esse, nec illud ad » omnia pertinere, sed esse coercitum ad Dioecesis » tuae curam: *per Te* autem, dum Decreta Nationis

» exsequeris auctoritate Tua, in iis purgari, quidquid » illigitimi esse possit invectum. »

His omnibus addis denique, negasse Te quidem hactenus institutionem dare Parocho *de Gomecourt* in novum Episcopum Versaliensem electo; sed metuere Te, ne Parochus iste iterum atque iterum idem postulet; eademque alii etiam flagitent, ita ut nil reliquum Tibi sit, quod agas, nisi ut aut annuas tandem, aut Sedem relinquas; dumque haec affirmas, satis aperte ostendis Te primam potius partem amplecti: haec enim mox verba subiungis: « Vereor id ultimum, quia, ni » fallor, redundarent aliqua in sacram ipsam Purpu» ram, et quia, quanta impenderent mala Dioecesi » meae, prospicio evidenter. »

Satis equidem verbis explicare non possumus, quanto animi Nostri moerore haec a Te proferri, et scribi intelleximus, quae maxime virum dedecent Archiepiscopali dignitate, et Cardinalatus honore fulgentem. Ast non est huius loci, nec temporis Te convincere, eorum, in quos es prolapsus, errorum; dicimus tamen obiter, quod non maius dedecus Purpurae inferre potuisti, quam emittendo civicum sacramentum, ipsumque exsequendo, sive dum antiquum Ven. Capitulum Ecclesiae Tuae abrogas, sive dum alienis Dioecesibus manus iniicis, Tibi per civilem potestatem minus rite attributis: nequit id in detestabile facinus non incurrere.

Perlegas oportet Canon. 4. Concilii Lugdunensis (1), in quo statutum fuit, quod absente ex *necessitate* Episcopo, nemo audeat in eius abire locum, nec sacrificiorum, aut ordinationum mysteria celebrare; quod si in hac temeritate, vel audacia quisque proruperit, non solum in Concilio redarguendum, verum etiam communione Fratrum futurum noverit alienum. Sed

(1) In Collect. Harduin. Tom. II. pag. 1054.

quod a recta sentiendi ratione abhorret, illud est, dum contendis, quod actus a Te illegitime gesti apti sint ad purgandam Nationalis Decreti vim. Denique, dum iureiurando Te obstrinxisti contra sanctiora ac solemniora sacramenta, quibus devinctum Te antea teneri non immemor esse debes, iam pollicitus es omnia complere, quae in eo continentur; continetur autem congeries, et succus plurimarum haeresum.

Sed erronee nimis et inverecunde declinas lapsum Tuum, quod nempe solum exterius iuraveris, seiuncta interiori animi consensione, quemadmodum commentus est quidam Philosophus, qui inventum huiusmodi excogitavit, indignum profecto, quod ullus amplectatur, tamquam a iurandi sanctitate alienum, et a naturali ipsa abhorrens honestate; nam quoties assertio haec producta fuit, toties eam Ecclesia proscripsit atque damnavit. Quae ad Galliae Episcopos propediem mittetur responsio, ea palam faciet Tuorum errorum pravitatem, ac simul poenas indigitabit, quae per Canones infliguntur, et ad quas non sine animi Nostri aegritudine manus admovere coacti erimus, Te Cardinalitia etiam dignitate exuentes, nisi publicam offensionem tempestiva ac digna satisfactione retractaveris.

Nos interim, quos vehementer paterna cura sollicitat, ne Tu errores erroribus cumules, et ne silentium Nostrum loco approbationis accipias, has Tibi nulla interiecta mora Litteras mittimus, Te etiam atque etiam in Domino hortantes, ut statim ab incepto desistas, Tibique praesertim praecipimus, ne eo usque progrediaris, ut novos Episcopos, ob quamvis etiam causam necessitatis, instituas, novosque Ecclesiae refractarios adiungas. De iure enim agitur, quod unice spectat ad Apostolicam Sedem, iuxta Tridentini Concilii sanctiones, quodque arrogari sibi a nemine potest Episcoporum, aut Metropolitanorum, quin Nos

illo, quo fungimur, Apostolici officii munere, declarare cogamur schismaticos simul esse tam eos, qui confirmant, quam eos qui confirmantur, nulliusque roboris futuros illos actus omnes, ab utroque prodituros, veluti alias iam declaravimus Nostris Litteris ad Carissimum in Christo Filium Nostrum Ludovicum Galliarum Regem Christianissimum, et ad Archiepiscopos Burdegalensem, ac Viennensem datis VII, et VI Idus Iul. proxime praeteriti anni, et veluti latius responsio ad Episcopos Nostra quantocius proditura explicabit.

Si Tu ipse novum instituere Episcopum impune detrectasti, si idem tot alii Collegae Tui praestiterunt, si praesertim Episcopus Rhedonensis non solum recusavit novum Episcopum Corosopitensem instituere, sed etiam docta gravique oratione demonstrare suscepit novitatem huiusmodi a veteri disciplina abhorrere, quae ante Concordata vigebat; si praeterea omnes fere Episcopi abstinendum esse putarunt magna animi constantia, cum a iure iurando praestando, tum a nova Constitutione exsequenda in iis partibus, quae ad auctoritatem ecclesiasticam pertinent, liquido patet longe eam necessitatem abesse, quae nunc Tibi videtur imminere, et quae, etiamsi maxime adesset, liberare neminem posset ab iis munerum vinculis, quibus quisque erga Deum, et erga Ecclesiam obstringitur; immo deberent animi in huiusmodi praestando officio maiori constantia retineri, seque promptos, ac paratos exhibere sive ad subeundam exsilii poenam, sive ad alias huius saeculi aerumnas perferendas.

Quis enim non videat Constitutionem Nationalem, dum libertatem relinquit homini, ea quae velit cogitandi, et scribendi de rebus ad Religionem spectantibus, praefracte cum Religione ipsa pugnare; dum vero tot alias novitates inducit, funditus evertere auctoritatem Ecclesiae, eiusque fere omnia iura pessumdare?

Tuum erat hisce resistere erroribus, sequique exemplum Collegarum Tuorum; nam veritas, quae non defenditur, opprimitur; et erranti consentit, qui ad resecanda, quae corrigi debent, non occurrit (1); et ipse S. Felix III. docet, quod negligens deturbare perversos, nihil agit aliud, quam eos fovere; nec caret suspicione *Societatis occultae,* qui evidenter facinori desinit obviare (2).

Quae cum ita sint, tantum abest, ut haec temporum conditio referri possit ad eum Augustini, quo Tu uteris, locum, ut contra referendus sit ad eam aetatem, quae tot Ecclesiae Episcopos et Pontifices protulit animo comparatos, ad quaecumque mala potius subeunda, ac toleranda, quam quidquam, sive de suo iure cederent, sive Dei, Ecclesiaeque causam desererent, quemadmodum Collegae Tui bene multi ad Religionis decus amplificandum, non verbis modo testati sunt luculentissimis, sed vulgatis etiam egregiis monumentis declararunt, dignis sane, quae aeterna memoria recolantur.

Speramus nos quidem fore, ut Tu nostris hisce monitis ad debitam docilitatem Tuum referas animum, non solum a quacumque alia novitate longissime Te removens, sed muneri Tuo, cui hactenus defuisti, plane satisfaciens, utque aliis Episcopis in unum consentientibus adiunctus huic adhaereas Apostolicae Sedi, in qua Magisterium est veritatis, et Centrum unitatis. Hac enim ratione fiet, ut schismatis atque erroris quaecumque evitetur ac tollatur occasio. Denique sic habeto: Si Rex, religiosissimi animi Princeps, si Parochi, si inclyta Natio universa unam veritatis vocem

(1) Epist. S. Thom. Cantuariens. ad Cant. Provinciae Episcopos, in collect. Harduin. tom. VI, part. II, pag. 1388.

(2) Epist. S. Felic. ad Acacium Constantinopolitan. in eadem collection. tom. II, pag. 812 et seq.

exaudient, quae a Nobis, tamquam a communi omnium Parente prodibit, quamque Episcopi suo Capiti coniuncti ac devincti defendent; ad credendum plane inducimur illud successurum, ut divina ope accedente, quam non intermissis precibus flagitamus, omnes se ab erroribus vindicent, qui per insidias ignaris obtruduntur, omnesque adversariorum deprehendantur ac in irritum revolvantur molitiones. Hi enim dum Religionis reformationem praetexunt, nihil aliud agunt, quam ut Catholicae Religionis, quam Patres vestri coluerunt, fundamenta subvertant.

Quod iam superest, Te maiorem in modum iterum atque iterum hortamur, rogamus, atque obtestamur, ut a recta nusquam deflectens via, sacris Catholicae Ecclesiae regulis constanter insistas, maximeque Episcopali pectore, prout debes, contendas, quantum in Te est, ut omnis obstruatur novitati, schismati, atque errori aditus, utque hoc periculosissimo tempore duci Te unice regique sinas a divino consilii, fortitudinis, fidei, ac patientiae Spiritu. Ac demum, ut maiora animo Tuo incitamenta adiungamus, Apostolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noster, Gregique Tuae curae, vigilantiae, fidei concredito peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXIII. Februarii MDCCXCI, Pontificatus nostri Anno XVII.

Benedictus Stay.

XX.

DILECTO FILIO NOSTRO

DOMINICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
DE RUPEFUCALDIO
ET VEN. FR. ARCHIEPISCOPO AQUENSI

aliisque subscriptis Expositioni super Principiis Constitutionis Cleri (1).

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii, ac Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod aliquantum differre ob ipsius rei gravitatem, nimiamque item urgentium negotiorum copiam coacti fuimus, nunc responsum damus, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, Litteris die 10 Octobris ad nos datis, quibus multorum e vestris spectabilibus Collegis nomen subscriptum est. Eae renovarunt in Nobis immensum, nullaque consolatione levandum dolorem illum, quem iam perceperamus, ex quo tempore perlatum ad nos erat, istum Nationis Vestrae Conventum, ad publicae oeconomiae rationes ordinandas congregatum, adeo in suis Decretis progressum esse, ut Catholicam Religionem impeteret; a conspirantibus enim suorum plerisque iam in ipsum irruebatur Sanctuarium.

(1) Ut ea quae sapientissime docuit ac decrevit sa. me. Pius PP. VI. in hac decretali epistola luculentius intelligantur, iuvat prae oculis habere *Declarationem de iuribus hominis et civis* ann. 1789, necnon *Constitutionem Civilem Cleri* an. 1790 editas, atque alia decreta Nationalis Gallici Conventus, quae ab eodem Pontifice in hac eadem epistola improbantur. Ea proinde in *Appendice* referentur.

Ab initio iudicabamus servandum Nobis esse cum huiusmodi inconsultis hominibus silentium, ne ipsi veritatis voce magis irritati ad multo deteriora adhuc proruerent. Nostrum hoc silentium tuebamur S. Gregorii Magni auctoritate, qui (1) *Discrete*, inquit, *vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat.* Tamen verba nostra ad Deum convertimus, ac publicas statim indiximus peragendas preces, ut novis istis legum latoribus eum impetraremus animum, quo vellent, ab huius saeculi philosophiae praescriptis recedere, atque ad Religionis nostrae consilia regredi, iisque insistere. In quo Susannae exemplum secuti sumus, quae, ut exponit S. Ambrosius (2), *Plus egit tacendo, quam si esset loquuta: tacendo enim apud homines, loquuta est Deo; conscientia loquebatur, ubi vox non audiebatur, nec quaerebat pro se hominum iudicium, quae habebat Domini testimonium.*

Neque porro praetermisimus, Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales in Consistorium convocare, die 29 Martii proxime elapsi anni, eosque participes eorum facere, quae istic geri contra Catholicam Religionem iam coeperant, communicataque cum ipsis Nostri doloris acerbitate, illos itidem ad Nostrarum lacrimarum, ac obsecrationum societatem excitare.

Dum in hoc essemus intenti, repente affertur ad Nos, prodiisse, circa mensis Iulii dimidium, a Gallicae Nationis Conventu (cuius nomine solam partem numero praevalentem semper intelligemus), prodiisse, inquimus, Decretum, quod in titulo Constitutionem Cleri civilem praetexens, revera ad sacratiora dogmata, atque ad certissimam Ecclesiae disciplinam perturban-

(1) Regul. Pastor. tom. II, oper. edit. Maurin. pag. 54.

(2) Lib. I de Offic. cap. III, num. 9, tom. II. Oper. edit. Maurin. pag. 4.

dam, evertendamque deveniebat, huius primae Sedis, Episcoporum, Sacerdotum, Regularium utriusque sexus, totiusque Catholicae communionis iura abolebat, sacros supprimebat ritus, ecclesiasticos reditus, et fundos arripiebat, eas demum inferebat aerumnas, quae credi non possent, nisi ipsa comprobarentur experientia. Istis ad Nos relatis, non potuimus certe non abhorrescere ad eius Decreti lectionem, idemque accidit Nobis, quod olim Magno Gregorio praedecessori Nostro evenit, qui, cum codicem quendam ab episcopo Constantinopolitano recognoscendum accepisset, ac priores partes percurrisset, manifesta pravitatis venena testatus est in eo se reperisse (1): hinc animo Nostro in summas aegritudines coniecto, ecce sub finem Augusti mensis, nuntiatur Nobis Carissimi in Christo Filii Nostri Ludovici Christianissimi Regis postulatio, qua summo apud Nos instabat studio, ut auctoritate Nostra approbaremus, saltem *per provisionis modum*, quinque ab illo Conventu decretos Articulos, suaque regia sanctione iam confirmatos. Cum autem illos regulis canonicis adversari videremus, lenius tamen ipsi Regi respondendum iudicavimus, Nos articulos illos examini subiecturos viginti Cardinalium Congregationi, quorum singulorum sententias etiam scripto expressas deinceps cognoscere Nos ipsi, atque expendere pro rei gravitate satagebamus. Interim per Nostras familiares Litteras ipsum hortati sumus Regem, ut universos Regni Episcopos induceret ad sibi candide aperiendos sensus suos, Nobisque accuratas eorum consiliorum rationes proponendas in quas ipsi convenirent, eaque Nobis patefacienda, quae in tanta locorum distantia Nos laterent, ne in ullam conscientiae Nostrae labem possemus incurrere. Nondum quidem ad Nos inde pervenit ulla Vestra huiusmodi gerendarum

(1) Epist. LXVI, lib. II, tom. VI, pag. 242.

rerum explicatio; pervenerunt tamen aliquorum Episcoporum typis evulgatae Pastorales Litterae, sermones et monita evangelico spiritu plena, sed ea singulariter a suis auctoribus perscripta, neque rationem, quid a Nobis gerendum videretur, indicantia, quam haec tanta rerum necessitas, summumque, in quo versamini, discrimen exposceret.

Verum ad Nos, non ita pridem, pervenit manuscripta expositio Vestra super Principiis Constitutionis Cleri, quam et typis postea accepimus, in cuius exordio perleguntur extracta Nationalis Conventus plura Decreta, eaque multis coniuncta animadversionibus super eorundem et invaliditate, et pravitate. Eodem pariter tempore redditae Nobis sunt recentes ipsius Regis Litterae, in quibus approbationem a Nobis postulat, ad aliquod tempus valituram, septem Articulorum Nationalis Conventus, cum primis illis quinque ad Nos Augusto mense transmissis pene consentientium, unaque significat, se in angustias redigi pro interponenda sanctione novo exsecutoriali Decreto, die 27 Novembris edito, cuius iussu Episcopi, Vicarii, Parochi, Seminariorum Praefecti, aliique ecclesiasticis fungentes officiis, coram generali Municipalitatum consilio, intra praescriptum tempus iuratam praestent Constitutioni servandae fidem, et ni faciant, gravissimis sint poenis puniendi. Verum, quemadmodum iam antea declaravimus, nequaquam Nos velle Nostrum expromere super hisce articulis iudicium, nisi prius a maiori saltem Episcoporum parte perspicue distincteque Nobis relatum esset, quid ipsi sentirent, id nunc etiam constanter repetimus, et confirmamus.

Dum Rex ipse postulat a Nobis inter cetera, ut hortatione Nostra Metropolitanos, et Episcopos inducamus ad consentiendum Ecclesiarum Metropolitanarum et Episcopatuum divisioni et suppressioni, nec non

ut provisionali saltem modo indulgeamus, quo scilicet formae canonicae ab Ecclesia in novorum Episcopatuum erectionibus hactenus servatae, nunc ex Metropolitanorum, Episcoporumque auctoritate fiant, et praesentatis ad vacantes curas, iuxta novam electionum methodum, iidem illi institutionem praebeant, dummodo morum, doctrinaeque eligendorum ratio non obstet; ex hac profecto Regis delata postulatione facile perspicitur, ab eo ipso nimirum agnosci exquirendos esse in huiusmodi casibus Episcoporum sensus, aequumque plane esse, ne Nos quidquam, nisi ipsis auditis, statuamus. Vestra igitur consilia, Vestras singulariter expositas consiliorum rationes a Vobis vel universis, vel plerisque subscriptas exoptamus, atque agnoscimus, quo tamquam gravissimo monumento innixi, consultationes Nostras regere, moderarique possimus, ut ita Vobis Regnoque Christianissimo salutare ac congruum a Nobis iudicium proferatur. Dum in hac de vobis exspectatione sumus, interim illa quae in vestris exponuntur Litteris, sublevant Nos aliqua ex parte, in peragendo examine omnium Nationalis Constitutionis articulorum.

Si primo perlegantur assertiones Concilii Senonensis inchoati anno 1527, contra Lutheranorum haereses, illud profecto quod basis est, et fundamentum Decreti Nationalis de quo agitur, expers esse ab haeresis nota videri non potest. Sic enim se explicavit Concilium (1): « Post hos autem ignaros homines surrexit Marsilius » Patavinus, cuius pestilens liber, quod *Defensorium* » *pacis* nuncupatur, in Christiani populi perniciem, » procurantibus Lutheranis, nuper excusus est. Is ho» stiliter Ecclesiam insectatus, et terrenis principibus » impie applaudens, omnem Praelatis adimit exterio-

(1) In Collect. Labbe tom. XIX, pag. 1164, edit. Venet. Coleti, qua semper utemur.

» rem iurisdictionem, ea dumtaxat excepta, quam sae» cularis largitus fuerit magistratus. Omnes etiam Sa» cerdotes, sive simplex Sacerdos fuerit, sive Episco» pus, Archiepiscopus, aut etiam Papa, aequalis ex » Christi institutione asseruit esse auctoritatis, quod» que alius plus alio auctoritate praestet, id ex gra» tuita laici Principis concessione vult provenire, quod » pro sua voluntate possit revocare. Verum ex sacris » Litteris coercitus est *delirantis* huius *haeretici* im» manis furor, quibus palam ostenditur, non ex prin» cipum arbitrio dependere ecclesiasticam potestatem, » sed ex iure divino, quo Ecclesiae conceditur leges » ad salutem condere fidelium, et in rebelles legitima » censura animadvertere; iisdem quoque Litteris aper» te monstratur Ecclesiae potestatem longe alia qua» vis laica potestate, non modo superiorem esse, sed » et digniorem. Ceterum hic Marsilius et ceteri prae» nominati *haeretici* adversus Ecclesiam impie debac» chati, certatim eius aliqua ex parte nituntur dimi» nuere auctoritatem. »

Praeterea vobis etiam in mentem revocamus fel. record. Benedicti XIV. consonam sententiam, qui, cum in suis ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Regni Poloniae die 5 Martii 1752 datis Litteris ageret de Opusculo Polonico idiomate impresso, Gallice vero prius edito sub titulo (1) « Principes sur l'essen» ce, la distinction et les limites des deux puissances » spirituelle et temporelle, Ouvrage posthume du Père » Laborde de l'Oratoire; » in quo auctor ecclesiasticum ministerium ita saeculari dominationi subiiciebat, ut ad hanc spectare pronunciaret de extrema, ac sensibili Ecclesiae gubernatione cognoscere, ac iudica-

(1) « Principia super essentia, distinctione et limitibus amba» rum potestatum, spiritualis et temporalis, Opus postumum Pa» tris *Laborde* ex Oratorio.

re. « Pravum, inquit, ac perniciosum systema iam pri-
» dem ab Apostolica Sede reprobatum ac pro *haeretico*
» expresse damnatum, fallacibus ratiunculis, fucatis,
» atque ad religionem compositis verbis, contortisque
» Scripturarum, ac Patrum testimoniis impudens scri-
» ptor obtrudit, quo simplicibus et minus cautis fa-
» cilius imponat.» Igitur libellum proscripsit, notasque apposuit, *captiosi, falsi, impii,* atque *haeretici,* eiusque interdixit, ac prohibuit lectionem, retentionem, et usum omnibus et singulis Christi fidelibus, etiam specifica et individua mentione dignis, sub poena excommunicationis ipso facto, absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, praeterquam Pontifice Romano pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere valeat (1).

Et sane quae umquam pertinere potest ad laicos iurisdictio super Ecclesiae rebus, ob quam Ecclesiastici ipsi subiici eorum Decretis teneantur? Nemini porro, qui catholicus sit, ignotum esse potest, Iesum Christum in suae Ecclesiae institutione dedisse Apostolis, eorumque successoribus potestatem, nulli alii potestati obnoxiam, quam sanctissimi Patres universi voce concordi agnoverunt cum Osio et S. Athanasio monentibus (2): « Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neu
» Nobis hisce de rebus praecepta mandes, sed a Nobis
» potius haec ediscas: Tibi Deus imperium tradidit,
» Nobis quae sunt ecclesiastica concredidit, ac quemad-
» modum qui Tibi subripit, Deo ordinanti repugnat, ita
» metue, ne, si ad Te ecclesiastica pertrahas, maioris
» criminis reus fias. » Ac propterea S. Ioannes Chrysostomus, ut magis, quam id verum esset, comproba-

(1) Bullar. Benedicti XIV, tom. IV, Constitut. 44, edit. Rom.

(2) S. Athanas. in histor Arianor. ad Monachos tom. I, oper. pag. 371, edit. Maurin.

ret, Ozae factum attulit (1) : Qui Arcam àlioquin « subvertendam fulsit, e vestigio mortuus est, eo quod » Ministerium ipsi non congruens usurpavit; ergo ne » sabbatum violatum, et solus Arcae ruiturae conta- » ctus ad tantam indignationem Deum provocavit, ut » qui haec ausi fuerant, ne minimum quidem veniae » sint consequuti? Hic vero qui adoranda et ineffabi- » lia dogmata corrumpit, excusationem habiturus est, » et veniam consequetur? Non potest hoc fieri, non » potest, inquam. » Id ipsum decrevere sacrosancta Concilia, consentientibus in idem Vestris Regibus, usque ad Regnantis avum Ludovicum XV, qui die 10 Augusti anni 1791, se agnoscere declaravit (2) « Comme » son premier devoir d'empêcher qu'à l'occasion des » disputes, on ne mette en question les droits sacrés » d'une puissance, qui a reçu de Dieu seul le droit de » décider les questions de doctrine sur la foi, ou sur » la règle des mœurs; de faire des Canons ou des rè- » gles de discipline, pour la conduite des Ministres de » l'Eglise, et des fidèles dans l'ordre de la Religion, » d'établir ses Ministres, ou les destituer conformé- » ment aux mêmes règles, et de se faire obéir en im- » posant aux fidèles, suivant l'ordre canonique, non » seulement des pénitences salutaires, mais de vérita-

(1) Commentar. in cap. I, Epist. ad Galat. num. 6, tom. X. oper. edit. Maurin. pag. 668.

(2) « Velut primum suum officium impedire, ne disputationum » occasione, in dubium revocentur iura sacra illius potestatis, quae » a Deo solo accepit ius determinandi quaestiones doctrinae de fide, » vel regula morum ; condendi Canones, vel disciplinae regulas, » quibus regantur Ecclesiae Ministri, et fideles in ordine Religio- » nis, instituendi suos Ministros, aut eos destituendi iuxta easdem » regulas, fideliumque ad obedientiam sibi praestandam adigendo- » rum, ipsis imponendo, iuxta ordinem canonicum, non solum poe- » nitentias salutares, verum etiam veras poenas spirituales vel iu- » diciis, vel censuris, quae primi Pastores iure suo ferre possunt. »

» bles peines spirituelles, par les iugements, ou par les » censures, que les premiers Pasteurs ont droit de » prononcer »...

Et tamen contra tam certam in Ecclesia sententiam, Conventus iste Nationalis potestatem sibi Ecclesiae arrogavit, dum tot ac tanta constitueret, quae cum Dogmati, tum ecclesiasticae Disciplinae adversantur, et dum Episcopos et Ecclesiasticos omnes iureiurando ad sui Decreti exsecutionem adstringeret. Verum hoc minime mirum videri debet iis, qui ex ipsa Conventus Constitutione facile intelligunt nil aliud ab illa spectari, atque agi, quam ut aboleretur catholica Religio, et cum eadem debita Regibus obedientia. Eo quippe consilio decernitur in iure positum esse, ut homo in societate constitutus omnimoda gaudeat libertate, ut turbari scilicet circa Religionem non debeat, in eiusque arbitrio sit de ipsius Religionis argumento, quidquid velit, opinari, loqui, scribere, ac typis etiam evulgare. Quae sane monstra ab illa hominum inter se aequalitate, naturaeque libertate derivari, ac emanare declaravit. Sed quid insanius excogitari potest, quam talem aequalitatem libertatemque inter omnes constituere, ut nil rationi tribuatur, qua praecipue humanum genus a natura praeditum est, atque a ceteris animantibus distinguitur? Cum hominem creasset Deus, eumque in Paradiso voluptatis posuisset, nonne eodem tempore ipsi mortis poenam indixit, si de ligno scientiae boni et mali comedisset? nonne statim hoc primo praecepto eius adstrinxit libertatem? Nonne deinceps, cum per inobedientiam se reum effecisset, plura praecepta per Moysen adiunxit? Et licet ipsum *reliquisset in manu consilii sui*, ut bene seu male mereri posset, nihilominus adiecit *mandata, et praecepta, ut si voluerit servare, conservassent eum* (1).

(1) Ecclesiastic. cap. XV, vers. 15. et 16.

Ubi est igitur illa cogitandi, agendique libertas quam Conventus Decreta tribuunt homini in societate constituto, tamquam ipsius naturae ius immutabile? Oportebit igitur ex eorum Decretorum sententia iuri contradicere creatoris, per quem exsistimus, et cuius liberalitati, quidquid sumus, atque habemus, acceptum referre debemus. Praeterea, quis iam ignoret creatos esse homines, ut non solum singuli sibi, sed et aliis vivant, ac prosint hominibus? In hac enim naturae infirmitate mutuo indigent ad sui conservationem subsidio; atque idcirco a Deo et rationem, et loquendi facultatem tenuerunt, ut et opem petere, et petentibus praestare scirent, ac possent; proinde ab ipsa naturae inductione in societatem communionemque coierunt. Iam, cum hominis sit ita sua ratione uti, ne supremum auctorem suum non tantum agnoscere, verum et colere, admirari, ad eumque omnia referre debeat; cumque ipsum subiici iam ab initio maioribus suis necesse fuerit, ut ab ipsis regatur, atque instruatur, vitamque suam ad rationis, humanitatis, Religionisque normam instituere valeat, certe ab uniuscuiusque ortu irritam constat, atque inanem esse iactatam illam inter homines aequalitatem, ac libertatem. *Necessitate subditi estote* (1). Itaque, ut homines in civilem societatem coalescere possent, gubernationis forma constitui debuit, per quam iura illa libertatis adscripta sunt sub leges supremamque regnantium potestatem, ex quo consequitur, quod S. Augustinus docet in haec verba: « Generale quippe pactum est societatis » humanae obedire Regibus suis » (2). Quapropter haec potestas, non tam a sociali contractu, quam ab ipso Deo recti iustique auctore repetenda est. Quod qui-

(1) Apost. Epist. ad Roman. cap. XIII, vers. 5.

(2) Lib. III, Confession. cap. VIII, tom. I, oper. edit. Maurin. pag. 94.

dem confirmavit Apostolus in superius laudata Epistola (1): « Omnis anima potestatibus sublimioribus » subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quae » autem sunt a Deo, ordinatae sunt: itaque, qui resi» stit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem » resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. »

Atque hic referre libet canonem Concilii Turonensis II, habiti anno 567 (2), cuius verbis anathemate plectitur, non solum qui Decretis Apostolicae Sedis contraire praesumit, sed et, « quod peius est, » qui contra sententiam, quam vas electionis Paulus » Apostolus Spiritu sancto ministrante promulgavit, » aliud conscribere, ulla ratione praesumat, cum di» cat ipse per Spiritum sanctum: Qui praedicaverit, » praeter id quod praedicavi, anathema sit. »

Ast ad refutandum absurdissimum eius libertatis commentum, satis hoc etiam esse potest, si dicamus huiusmodi nempe sententiam fuisse *Valdensium* et *Beguardorum* a Clemente V, sacro approbante oecumenico Concilio Viennensi (3), damnatorum, quam deinde secuti sunt *Wiclephistae,* et postremo *Lutherus* illis suis verbis: *Liberi sumus ab omnibus* (4). Verumtamen quae de obedientia legitimis potestatibus debita asseruimus, nolumus eo accipi sensu, ut a Nobis dicta fuerint animo oppugnandi novas civiles Leges, quibus Rex ipse praestare potuit assensum, utpote ad illius profanum regimen pertinentes, ac si per Nos eo consilio allata sint, ut omnia ad pristinum civilem statum redintegrentur, iuxta quorundam calumniatorum evulgatas interpretationes, ad conflandam Re-

(1) Ad Roman. cap. XIII, vers. 1 et 2.

(2) Canon 20, in collect. Labbe, tom. VI, pag. 541.

(3) Cap. III in Clementin. tit. de Haereticis.

(4) Ut refert auctor appendic. ad S. Thomam 1. 2. qu. 96, art. 5. edit. Neapol. 1763.

ligioni invidiam: cum revera Nos, vosque ipsi id unum quaeramus, atque urgeamus, ut sacra iura Ecclesiae, et Apostolicae Sedis illaesa serventur. In quem sane finem, nunc alia ratione nomen illud *libertatis* expendamus, discrimenque inspiciamus, quod intercedit inter homines, qui extra gremium Ecclesiae semper fuerunt, quales sunt Infideles et Iudaei, atque inter illos, qui se Ecclesiae ipsi per susceptum Baptismi Sacramentum subiecerunt. Primi etenim constringi ad catholicam obedientiam profitendam non debent; contra vero alteri sunt cogendi. Id quidem discrimen solidissimis, prout solet, rationibus exponit S. Thomas Aquinas (1), ac multis ante saeculis Tertullianus exposuit in Libro Scorpiaci adversus Gnosticos (2), et paucis ante annis Benedictus XIV, in Opere de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione (3); atque ut magis adhuc huius argumenti pateat ratio, videndae sunt duae celeberrimae, ac pluries typis editae S. Augustini Epistolae, una ad Vincentium Cartennensem (4), altera ad Bonifacium Comitem (5), per quas non veteres solum, sed et recentes haeretici plane refelluntur. Quare manifesto perspicitur, aequalitatem et libertatem a Conventu isto iactatam in illud, ut iam probavimus, recidere, ut catholica subvertatur Religio, cui propterea *dominantis* titulum in Regno, quo potita semper est, detrectavit.

Progredientibus nunc Nobis ad alios Nationalis Conventus errores demonstrandos, statim occurret Pontificii Primatus, eiusque iurisdictionis abolitio, cum

(1) 2. 2. qu. 10, art. 8.
(2) Cap. II, num. 15.
(3) Lib. III, cap. XVII, num. 13.
(4) Epist. XCIII. tom. II, oper. pag. 237, edit. Maurin.
(5) Epist. CLXXXV, tom. eod. pag. 652.

decretum sit, ut: « Le nouvel Evêque ne pourra s'a-
» dresser au Pape, pour en obtenir aucune confirma-
» tion, mais il lui écrira comme au Chef visible de
» l'Eglise universelle, en témoignage de l'unité de
» foi, et de la communion qu'il doit entretenir avec
» lui » (1). Nova praescribitur iurisiurandi formula, in qua Romani Pontificis nomen suppressum est. Immo cum Electus ex iurata fide teneatur Decretis Nationalibus, in quibus inhibitum est, ne a Pontifice electionis confirmatio postuletur, eo ipso omnis eiusdem Pontificis potestas prorsus excluditur; atque hoc modo abscinduntur a fonte rivi, rami ab arbore, populus a primo Sacerdote.

Hic vobiscum usurpare Nobis liceat, et exprimere illatas dignitati, auctoritatique Nostrae iniurias, vocibus, quibus S. Gregorius Magnus (2) indoluit apud Constantinam Augustam de Ioanne, qui nova praesumere coeperat, seque per superbiam, universalem Episcopum appellabat, rogavitque, ne assensum praeberet praefatae Ioannis elationi: « Si hac in causa ne-
» quaquam me pietas vestra despiciat, quia etsi pec-
» cata Gregorii *(nunc Pii)* tanta sunt, ut pati talia
» debeat, Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt,
» ne vestris temporibus pati ista mereatur. Unde ite-
» rum per omnipotentem Dominum rogo, ut sicut Pa-
» rentes priores vestri principes S. Petri Apostoli
» gratiam quaesierunt; ita vos quoque et hanc vobis
» quaerere et conservare curetis, et propter peccata
» Nostra, qui ei indigne servimus, eius apud vos ho-
» nor nullatenus minuatur, qui et modo vobis adiutor

(1) « Novus Episcopus non poterit ad Papam recurrere, ut ab
» eo ullam confirmationem obtineat, sed ad eum scribet, velut ad
» Caput visibile Ecclesiae universalis, in testimonium unitatis fi-
» dei, et communionis, quam debet cum eo retinere. »

(2) Epist. XXI, lib. III, pag. 751, tom. II, oper. edit. Maurin.

» esse in omnibus, et postmodum vestra valeat pec-
» cata dimittere. »

Quod Divus Gregorius ab auctoritate Constantinae postulavit ad decus Pontificiae dignitatis, Nos a vobis similiter exquirimus, ne in isto vastissimo Regno Primatus honor et iura aboleantur, respiciantur que merita Petri, cuius Nos heredes sumus, etsi indigni, quique debet in persona humilitatis Nostrae honorari. Quod si alienae potestatis vi impediti exsequi non valebitis, per Religionem, et constantiam vestram complere debetis, fortiter vos ab iniuncto iureiurando abstinentes: quippe minus detrahebat Gregorio usurpata a Ioanne denominatio, quam Nostro deroget iuri Nationale Decretum. Quomodo enim retentam, conservatamque dici poterit cum visibili Ecclesiae Capite communionem, eidem tantummodo electionem nunciando, eodemque tempore ipsius Primatus auctoritatem etiam per sacramenti religionem abnuendo? Et tamen debetur ipsi, tamquam Capiti, a suis membris solemnis canonicae obedientiae promissio, ad retinendam in Ecclesia unitatem, atque ad evitanda mystici huius Corporis a Christo Domino constituti schismata. Qua in re, quod ad Ecclesias Galliarum pertinet, videre est apud Martene De antiq. Eccl. Rit. (1), qualis ibidem iurandi formula viguerit, in qua constat, iam ab antiquis temporibus, Gallicanos episcopos, in sua ordinatione, ad fidei professionem addidisse expressam suae erga Romanum Pontificem obedientiae clausulam.

Atque hic non ignoramus profecto, neque dissimulandum ducimus, quid Constitutionis Nationalis patroni contra haec proferunt, ex Epistola S. Hormisdae ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum,

(1) Tom. II, lib. I, cap. 8, art. 11, ord. 10, et apud Sirmond. in appendic. ad tom. II Concilior. Galliae, de antiquis Episcop. promotion. formul. 18, pag. 656.

seu potius quantopere illa ipsa abutantur; quoniam ex eadem constat in more fuisse, ut ab Episcopis electis legati cum Litteris, et fidei professione mitterentur ad Romanum Pontificem, a quo postulabant admitti in coniunctionem, et in communicationem cum Apostolica Sede, et hunc in modum suae electionis approbationem obtinerent. Quod cum praestare omisisset Epiphanius, ad ipsum Hormisdas scribens: « Mirati, » inquit, admodum sumus morem pristinum fuisse neglectum, quia reparata Ecclesiarum, Deo annuente, » concordia, plenum fraternitatis, ac pacis id flagitabat officium, praesertim quod illud sibi non arrogantia personalis, sed Regularum observantia vindicabat. Decuerat siquidem, Frater carissime, te » legatos ad Apostolicam Sedem, inter ipsa tui Pontificatus initia, destinasse, ut quem Tibi debeamus » affectum, bene cognosceres, et vetustae consuetudinis » formam rite compleres » (1).

Primatus adversarii ex verbo *decuerat* illam non nisi urbanitatis, et, ut ita dicamus, exuberantiae legationem fuisse contendunt: at ex toto epistolae contextu, ex illis nempe verbis: *Reparata Ecclesiarum... concordia... id flagitabat officium, quod... Regularum observantia vindicabat.... ut vetustae consuetudinis formam rite compleres;* quis iam contendat, ob illud *decuerat* verbum, Pontificia moderatione prolatum, in Electi debito non fuisse ad Pontificem pro consequenda approbatione recurrere? Sed prorsus elidit oppositam interpretationem alia Pontificia Epistola, quae est S. Leonis IX. ad Petrum Episcopum Antiochenum, qui cum S. Pontifici suam denuntiasset ad Episcopatum electionem, responsum accepit (2): *Valde necessarium studium fuisse* annuntiare et exponere secutam eius

(1) Epist. LXXI. in collect. Concil. Labbe, tom. I. pag. 665.
(2) Epist. V, in collect. Labbe, tom. II, pag. 1884.

electionem...., et quod *maxime oportebat* Tibi, et « Ecclesiae cui temporaliter praesides, non distulisti » efficere... Mea vero humilitas in culmine Apostolici » Throni ideo exaltata, ut approbanda approbet, im- » probanda quoque improbet, Tuae sanctissimae fra- » ternitatis Episcopalem promotionem libens approbat, » collaudat, et confirmat, et communem Dominum » instanter exorat, ut quod humano ore iam diceris, » ante eius oculos exsistas. » Epistola haec quae non ex privati doctoris interpretatione, sed ex iudicio prodiit Pontificis sanctitate et doctrina insignis, nullum relinquit dubium super sensu, in quo Nos exposuimus epistolam S. Hormisdae, ut merito inter illustriora monumenta accensenda sit pro debita ab Episcopis petenda, et reportanda a Romano Pontifice confirmatione, quam Tridentini Concilii munit auctoritas (1), quamque Nos in responsione super Nunciaturis vindicandam suscepimus (2), pluresque alii ex Vobis egregiis, doctisque scriptis propugnarunt (3).

(1) Sess. 23. Can. 7, et Sess. 24, de Reformat. in cap. 1.

(2) Cap. VIII. sect. 3. §. 55 et 56, pag. 211.

(3) Post transmissam hanc Epistolam, incidimus in Litteras S. Pii V, qui numquam confirmare voluit electionem *Friderici de Veda* in Archiepiscopum Coloniensem, quia emittere noluerat fidei Professionem iuxta formulam a Pio IV. approbatam (qua praescribitur Romanam Ecclesiam agnoscendam esse omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis Successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam profitendam, et iurandam). Et quamvis electus *Fridericus* declarationem emisisset suae orthodoxiae, ac professus esset, sanguinem effundere velle pro fide Catholica Romana: nihilominus S. Pius, post hortationes monitionesque adhibitas, inultam *Friderici* pervicaciam diutius pati noluit, ideoque mandavit, ut vel pareret, vel Ecclesiam dimitteret; unde in angustiis positus *Fridericus* maluit Coloniensem Cathedram abdicare, quam fidem praescripta forma profiteri, eique ex Pontificia benignitate permissum fuit, ut ultro Dignitati cedere videretur, quam invitus exspoliari; ut liquet ex monumentis re-

At ut iidem adversarii Nostri tueantur istius Conventus decreta, ipsa dicunt ad disciplinam pertinere, quae cum saepe pro temporum varietate mutata fuerit, nunc itidem mutari potuit. Verum inter decreta ipsa, non solum disciplinaria, sed et alia non pauca in eversionem puri, immutabilisque dogmatis congeruntur, ut hactenus demonstravimus. Ast ut de disciplina agamus, quis umquam est inter Catholicos, qui affirmet disciplinam ecclesiasticam immutari a laicis posse? cum ipse etiam Petrus de Marca fateatur, quod (1) de ritibus, caeremoniis, sacramentis, « Cleri censura, » conditionibus, et disciplina, canones a conciliis, et » decreta a Pontificibus Romanis tamquam de materia » sibi subiecta frequentissime edantur; et vix ulla » proferri possit constitutio principum, quae hac de » re lata fuerit ex mero potestatis saecularis imperio. » Sequutas quidem hac in parte Leges publicas vide» mus, sed non antecessisse. »

Deinde cum anno 1560, Facultas Parisiensis ad examen adduxisset ea quae Franciscus *Grimauldet*, Advocatus regius retulerat ad Conventum, seu Status apud Andegavenses collectos; inter multas propositio-

latis *a Laderchio ad ann. 1566. num. 55. ad 59. et ad ann. 1567. num. 24. Annal. Ecclesiast. tom. XXIII.*

Haec addidimus secuti exemplum S. Leonis, qui nonnulla addidit suae Dogmaticae Epistolae, ad *Flavianum* Episcopum Constantinopolitanum scriptae, eaque vobiscum communicanda arbitramur, ne quod Gallici Episcopi *Ceretius, Salonius et Veranus* desiderarunt, et Vos desideretis: haec enim sunt illorum verba: *Si salutarem lecturis omnibus paginam aliquo studii vestri accumulastis augmento, id ipsum addi libello huic sollicita pietate iubeatis.* Inter Epist. Decret. S. Leonis collect. a Rainudo in Hept. Praesul. Christ. edit. Paris. 1671. pag. 177.

Edit. an. 1800. heic adnotavit at sequitur «Hoc additamentum » est in exemplaribus huius Litterae excusis typis Rev. Camerae » Apostolicae, quod desideratur in Editione Parisiensi Royou. »

(1) De concord. Sacerdot. et Imper. lib. II, cap. VII, num. 8.

nes ab ipsa reprobatas sequens etiam N. 6. reperitur: « Le second point de la Religion est en la police et » discipline sacerdotale, sur laquel les Rois et Prin- » ces Chrétiens ont puissance d'icelle dresser, mettre » en ordre, et réformer icelle corrompue » (1). Haec propositio est falsa, schismatica, potestatis Ecclesiasticae enervativa, et haeretica, et probationes ad illam sunt impertinentes (2). Praeterea certum omnino est disciplinam non posse temere et pro arbitrio variari; siquidem duo prima catholicae Ecclesiae lumina S. Augustinus (3), et S. Thomas Aquinas (4) perspicue docent materias ad disciplinam spectantes variandas non esse, nisi ex necessitate, vel magna utilitate, quoniam mutatio consuetudinis, etiam quae adiuvat utilitate, novitate perturbat: et non debent mutari (subiicit ipse S. Thomas) « nisi ex alia parte tantum recom- » pensetur communi saluti, quantum ex ista parte de- » rogatur. » Romani Pontifices tantum abest, ut disciplinam umquam corrumperent, ut eandem ex collata sibi a Deo auctoritate in aedificationem Ecclesiae, meliorem suavioremque semper redderent, contra quam ab istius Conventus membris effectum esse dolemus, ut ex singulis eorum Decretorum articulis, cum Ecclesiae disciplina comparatis, facile deprehenditur.

Sed priusquam articulos hosce attingamus, praemittendum ducimus, quantum saepe disciplina cohaereat dogmati, et ad eius puritatis conservationem influat, nec non quam parum utilitatis attulerint, et

(1) « Secundum punctum Religionis est in politia et Disciplina » sacerdotali, in quo Reges et Principes Christiani habent potesta- » tem illam statuendi, ordinandi, eamque corruptam reformandi. »

(2) Carol. d'Argentré, collec. indict. tom. II, ed. Paris. 1720. pag. 291, in fin.

(3) Epist. LIV. ad Ianuarium cap. V, tom. II, oper. edit. Maurin. pag. 126.

(4) 1. 2. qu. 97. art. 2

quam brevi tempore perdurarint variationes a Romanis Pontificibus ex indulgentia, quamvis raro, permissae. Ac profecto sacra Concilia pluribus in casibus disciplinae violatores ab Ecclesiae communione per anathema separarunt. Quandoquidem in Concilio Trullano (1) inflicta fuit excommunicationis poena iis, qui suffocatorum animalium sanguinem comederint. « Si » quis deinceps animalium sanguinem quovis modo com» edere aggrediatur, si sit quidem Clericus, depo» natur, si autem laicus, segregetur. » Multis in locis Tridentina Synodus anathemati subiicit ecclesiasticae disciplinae impugnatores. Nam Can. 9. Sess. 13. de Eucharistia, infligit poenam anathematis illi qui « negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque » sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri » singulis annis, saltem in Paschate, ad communican» dum, iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae. » In Can. 7. Sess. 22. de Sacrificio Missae, supponitur anathemati, qui diceret « caeremonias, vestes et externa » signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Ca» tholica utitur, irritabula impietatis esse, magis » quam officia pietatis. » In Can. 9. Sess. eadem, item anathemati subiectus est, qui assereret « Ecclesiae Ro» manae ritum, quo submissa voce pars Canonis, et » verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, » aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere. » In Can. 4. Sess. 24. de Sacramento matrimonii, anathemate plectuntur illi, qui dicerent « Ecclesiam non » potuisse constituere impedimenta matrimonium di» rimentia, vel in constituendis errasse. » In Can. 9. Sess. et tit. iisd., itidem in anathema incurrit, dicens « Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regu» lares castitatem solemniter professos, posse matri» monium contrahere, contractumque validum esse,

(1) Can. 67, in collect. Labbe, tom. VII, pag. 1378.

» non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto, et oppo» situm nil aliud esse, quam damnare matrimonium, » posseque omnes contrahere matrimonium, qui non » sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere » donum. » In Can. 11. Sess. ead. et tit. anathematizantur pariter, qui dicerent « prohibitionem solemni» tatis nuptiarum certis anni temporibus superstitio» nem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione » profectam, aut Benedictiones, et alias caeremonias, » quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit.» In Can. 12. ead. Sess. et tit. imponitur anathema dicentibus « cau» sas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesia» sticos. » Ab Alexandro VII. dèinde proscripta fuit die 7. Ianuarii et 7. Februarii 1661, sub excommunicatione latae sententiae, versio Missalis Romani in linguam Gallicam, tamquam novitas perpetui Ecclesiae decoris deformatrix, inobedientiae, temeritatis, audaciae, seditionis, schismatis, aliorumque plurium malorum facile productrix. Ab indictione anathematis contra adversantes pluribus capitibus disciplinae, plane assequimur illam ab Ecclesia habitam fuisse tamquam Dogmati connexam, nec debere quandocumque, nec a quocumque variari, sed a sola Ecclesiastica potestate, cui constet, vel perperam factum fuisse, quod hactenus servatum est, vel urgere consequendi maioris boni necessitatem.

Nunc ut videamus remanet, quam nec utiles, nec diuturnae fuerint variationes, quas proficuas futuras sperabatur. Quod facile vobis patebit, si in memoriam revocaveritis exemplum super Calicis usu, quem Pius IV. vehementer postulantibus Ferdinando Imperatore, et Alberto Bavariae Duce, tandem concedere inductus fuit, nimirum ut aliqui possent Episcopi Dioeceses habentes in Germania, sub certis conditionibus, ipsum permittere. At cum inde plus mali in

Ecclesiam quam boni redundasset, S. Pontifex Pius V necessarium duxit, in sui Pontificatus exordio, hanc concessionem revocare; quod statim praestitit per Breves Apostolicas Litteras, alteras die 8. Iunii 1566, datas ad Ioannem Patriarcham Aquileiensem, alteras item datas postridie ad Carolum Archiducem Austriae: cumque porro Urbanus Passaviensis Episcopus idem flagitasset indultum, scribens S. Pius die 26. Maii 1568 (1), magnopere ipsum hortatus est « ad retinen» dum potius Ecclesiae Catholicae antiquissimum et » sanctissimum ritum, quam eum quo haeretici utun» tur.... atque in hac sententia adeo constanter et » fortiter manere debes, ut nullius iacturae, aut pe» riculi metu, ex ea Te dimoveri patiare, etiamsi » subeundum esset martyrium. Pluris talis constan» tiae praemium aestimare debes, quam quantasvis » opes et temporalia bona. Martyrium vero adeo non » est subterfugiendum homini vere Christiano et Ca» tholico, ut sit etiam expetendum, et in singularis » beneficii loco a Deo accipiendum, et felix habendus » sit, quicumque dignus habitus fuerit, qui pro Chri» sto et pro eius sanctissimis Sacramentis, sanguinem » effundat. » Hinc merito S. Leo Magnus, scribens Episcopis per Campaniam, Picenum, Thusciam, et universas provincias constitutis de aliquibus disciplinae articulis suam clausit epistolam (2): « Hoc itaque » admonitio nostra denunciat, quod si quis fratrum » contra haec constituta venire tentaverit, et prohi» bita fuerit ausus admittere, a suo se noverit officio » submovendum, nec communionis nostrae futurum esse » consortem, qui socius esse noluit disciplinae. »

(1) Relat. a Laderch. Annal. Ecclesiast. ad ann. 1568, pag. 68, edit. Rom. 1733.

(2) Epist. III, tom. II, oper. edit. Tyrnav. 1767.

Nunc procedentibus ad examen capitum Decreti Conventus Nationalis, gravissima sese offert suppressio antiquarum Metropolium, nec non et nonnullorum Episcopatuum, aliorumque ex suis divisio, aliorum de integro erectio. Qua de re non hic ad criticum examen revocare intendimus illud, quod, non sine aliqua dubitatione, retulerunt historici, super veteri Gallicarum provinciarum civili iure administratarum divisione, ex qua inferre possemus cum eisdem, neque tempore, neque loco Ecclesiasticas Metropoles convenisse; at pro re, de qua nunc agitur, satis est, si innuamus, ex divisione Metropolium ad iurisdictionem civilem constitutarum, nequaquam emanare Ecclesiastici ministerii spatia, ut ex allata patet a S. Innocentio I. ratione (1): « Nam quod sciscitaris utrum » divisis Imperiali iudicio provinciis, ut duae Metro» poles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant » nominari, non ergo visum est ad mobilitatem ne» cessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, » honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis » causis faciendas duxerit Imperator. Ergo secundum » pristinum provinciarum morem, Metropolitanos Epi» scopos convenit numerari. » Huiusmodi Epistolam ex praxi Ecclesiae Gallicanae praeclaris illustrat monumentis Petrus de Marca, e quo sat erit pauca exscribere verba (2). « Gallicana Ecclesia in eandem sen» tentiam cum Synodo Chalcedonensi, et Innocentii De» creto conspiravit, putavitque nefas esse Regum im» perio Episcopatus novos institui, etc. Quare non est, » quod a communi universalis Ecclesiae sensu receda» mus foeda in Principes adulatione, ut contigit Marco» Antonio de Dominis, qui Episcopatuum institutionem

(1) Epist. XXIV, ad Alexandrum Antioch. cap. II, apud Constant. pag. 852.

(2) De Concord. Sacerdot. et Imper. lib. II, cap. IX, n. 4. et 7.

» Regibus perperam, et contra ipsos Canones asseruit;
» cuius sententiam recentiores aliqui amplexi sunt.
» Tota rei istius disponendae ratio ad Ecclesiam per-
» tinet, quemadmodum dixi. »

Verum, inquiunt, a Nobis postulatur, ut decretam Dioecesium divisionem approbemus; at mature expendendum est, num a Nobis id fieri debeat; obstare siquidem videtur infecta origo, a qua eiusmodi hodiernae divisiones et suppressiones derivantur. Praeterea animadvertendum est, non agi hic de una aut altera Dioecesi immutanda, sed de omnibus fere amplissimi Regni Dioecesibus subvertendis, deque tot tamque illustribus Ecclesiis e suo loco movendis, cum plures ex illis, quae Archiepiscopali honore fulgebant, ad Episcopalem gradum deiiciantur; in quam novitatem acriter est Innocentius III invectus, ubi Patriarcham Antiochenum his verbis reprehendendum esse putavit, « quod... novo quodam mutationis genere
» parvificasti maiorem, et magnum quodammodo mi-
» norasti, episcopare Archiepiscopum, immo potius de-
» archiepiscopare praesumens (1).»

Quae item rei novitas tanti habita est ab Ivone Carnotensi, ut ad illam avertendam necessarium sibi esse duxerit ad Paschalem II confugere, eumque his verbis compellare (2): « ut statum Ecclesiarum, qui
» quadringentis ferme annis duravit, inconcussum ma-
» nere concedatis, ne hac occasione schisma, quod est
» in Germanico Regno adversus Sedem Apostolicam,
» in Galliarum Regno suscitetis. » Eodem accedit, ut priusquam ad id deveniendum esset, interrogare Episcopos, de quorum agitur iure, debeamus, ne iustitiae violasse leges contra ipsos arguamur: quod quantopere S. Innocentius I. Pontifex detestetur, ex eiusdem per-

(1) Epist. L. pag. 29. num.1, Epistolar. edit. Paris. Baluz. 1682.
(2) Epist. CCXXXVIII. pag. 103, part. II, oper. edit. Paris.1647.

spicitur sequentibus verbis (1): «Quis enim ferre possit » ea quae ab illis delinquuntur, quos prae ceteris » decebat tranquillitatis, et pacis et concordiae esse » studiosos? Nunc autem praepostero more Sacerdotes » innoxii e sedibus Ecclesiarum suarum exturbantur. » Quod quidem primus iniuste perpessus est frater et » Consacerdos noster Ioannes Episcopus vester, cum » nulla ratione fuisset auditus. Nullum crimen affer» tur, nec auditur. Et quodnam est hoc perditum con» silium? Ut non sit, aut quaeratur ulla species iu» dicii, in locum viventium sacerdotum alii substi» tuuntur, quasi qui ab huiusmodi facinore auspicati » sunt, aliquid recti aut habere, aut exegisse iudicari » possint. Neque enim talia umquam a patribus Nostris » gesta esse comperimus, sed potius prohibita, cum » nemini licentia data sit in locum viventis alium » ordinandi; nam reproba ordinatio honorem Sacer» dotis auferre non potest: siquidem is Episcopus omni» no esse nequit, qui iniuste substituitur. » Postremo certiores ante fieri deberemus, quid ipsi sentiant populi, qui eo privantur bono, suum Pastorem citius commodiusque adeundi.

Sequitur iam alia mutatae, seu potius eversae disciplinae novitas, de nova scilicet inducenda electionum Episcopalium ratione; qua nimirum infringitur, ac violatur solemnis conventio, seu Concordatum inter Pontificem Leonem X, et Regem Franciscum I initum, ac a Generali Concilio Lateranensi V approbatum, in quo mutua promittitur pactorum fides, quae certe iam per ducentos et quinquaginta annos constanter viguit, proindeque in Regni Legem constituta esse iure censetur. In illo scilicet Concordato convenerat inter partes ratio conferendi Episcopatus, Praelatu-

(1) Epist. VII. num. 2. ad Clerum et Popul. Constantinop. apud Coustant. pag. 798.

ras, Monasteria, et Beneficia. Illo igitur nunc posthabito, decernitur ab isto Conventu, ut in posterum Episcopi eligantur a multitudine quorumcumque Districtuum aut Municipalitatum. In quo sane Conventus ille voluisse videtur falsas amplecti Lutheri, et Calvini opiniones, quas sequutus deinceps est Spalatensis Apostata. Asserebant isti iuris esse divini, ut Episcopi eligerentur a populo. Quam perfacile est deprehendere erroneam esse sententiam, si veteres memoria recenseamus electiones. Moyses enim, ut ab ipso incipiamus, constituit in Pontificem sine suffragio, et consilio multitudinis Aaronem, et post eum Eleazarum; et Christus Dominus Noster primum duodecim Apostolos, deinde septuaginta duos Discipulos, sine populi elegit interventu, sanctusque Paulus Timotheum Ephesi, Titum insulae Cretae, Dionysium Areopagitam Corinthi, quem Apostolus suis manibus ordinavit (1). Sanctus vero Ioannes Polycarpum Smirnae dedit Episcopum sine ullo plebis consensu (2); ac prope innumerabiles missi fuerunt ad populos absentes, et infideles, qui per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam, solo Apostolorum iudicio, Ecclesias ab ipsis fundatas pastorali officio gubernarent (3). Quae electionum ratio, quam vera sit, ex sacrosanctis etiam comprobatur Conciliis, ut a Laodiceno I (4), atque a Constantinopolitano IV (5). S. Athanasius creavit Fru-

(1) Euseb. Hist. Ecclesiastic. lib. III, cap. IV, n. 15, ibiq. not. 6.

(2) S. Hieronymus de Viris illustrib. cap. XVII, tom. II, oper. pag. 843, edit. Vallars.

(3) Euseb. citat. cap. IV, num. 5. S. Hieronym. comment. in cap. XXV Matthaei, tom. VII, oper. pag. 207, edit. Vallars.

(4) Can. XIII. « Quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium provehendi. » Labbe Collect. Concil. edit. Venet. Colet. tom. II, col. 1544.

(5) Oecumenic. VIII. act. 10. can. 12. « Apostolicis et synodicis canonibus promotiones et consecrationes Episcoporum et potentia et

mentium Episcopum Indorum in Concilio Sacerdotum, populo inscio (1). S. Basilius elegit in sua Synodo Euphronium Episcopum Nicopolitanum, absque ulla petitione et consensu civium, et populi (2). S. Gregorius II ordinavit S. Bonifacium Episcopum in Germania, nihil de ea re scientibus, cogitantibusque Germanis. Ipse Valentinianus Augustus, cum ad eum deferretur ab Episcopis electio Episcopi Mediolanensis respondit: « Maius est viribus meis istud negotium; » Vos vero qui divina gratia repleti estis, et qui divi» num illud numen hausistis, melius electuri estis » (3). Quae Valentinianus sensit, ea magis sentire, et declarare deberent Gallici districtus, et amplecti Catholici imperantes.

Adversus hactenus allata insurgunt *Lutherus* et *Calvinus*, eorumque asseclae, opponentes exemplum S. Petri, qui stans in medio fratrum dixit: « Erat » autem turba hominum simul fere centum viginti: » Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati » in omni tempore, ut alius eligeretur in locum mi» nisterii, et apostolatus, de quo praevaricatus est » Iudas. » Sed perperam insurgunt; nam primo Petrus non reliquit turbae libertatem eligendi quemcumque voluisset; sed praescripsit, et designavit unum ex *his viris* qui secum erant congregati. Omnem porro dis-

praeceptione Principum factas penitus interdicentibus concordantes, definimus et sententiam nos quoque proferimus, ut si quis Episcopus per versutiam vel tyrannidem Principum huiusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis; utpote qui non ex voluntate carnalis sensus ex hominibus et per homines Dei donum possidere voluit vel consensit.» Labbe Collect. Concil. edit. Ven. Colet. tom. X, col. 689.

(1) Rufin. lib. X. Histor. cap. IX, sub fin.

(2) Epistol. 230. tom. 3. pag. 353. ed. Maur.

(3) Theodoret. lib. IV Histor. cap. VII.

sipat exceptionem Chrysostomus (1) inquiens: « Quid » ergo, an Petrum ipsum eligere non licebat? Licebat » utique; sed ne videretur ad gratiam facere, absti» net. » Quod magis roboratur ex aliis Petri subinde gestis, legendis in Epist. S. Innocentii I ad Decentium Episcopum Eugubinum (2). Postquam vero per vim Arianorum, quibus Imperator favebat Constantius, exturbari a suis sedibus coeperunt Catholici Praesules, in easque sedes immitti illorum asseclae (ut S. Athanasius deplorat) (3), ipsa temporum coegit necessitas, ut in Episcoporum electionibus populus adesset, unde incenderetur ad tuendum in sua sede Episcopum, quem coram se electum esse novisset. At non propterea Clerus excidit electionis iure, quam constat ad ipsum peculiari semper iure pertinuisse: neque umquam est agnitum, veluti modo contenderetur obtrudi, ad solum populum fuisse electionum iura delata. Neque ideo Romani Pontifices umquam suam auctoritatem otiosam quiescere pertulerunt; nam Divus Gregorius Magnus delegavit Ioannem Subdiaconum, qui Genuam proficisceretur, ubi plures erant Mediolanenses, ut eorum perscrutaretur voluntates supra Constantio, quae si in ipsius favorem perdurarent, eum in Episcopum Mediolani tunc a propriis Episcopis, cum Pontificiae *auctoritatis assensu,* faceret consecrari (4). Rursus in Epistola ad diversos Episcopos Dalmatiae (5) praecepit, ex B. Petri Principis Apostolorum auctoritate, ut nulli penitus extra consensum, permissionemque suam

(1) Homil. III in Act. Apostol. tom. IX, oper. edit. Maurin. pag. 25, litt. B.

(2) Epistol. XXV apud Coustant. pag. 856, n. 2.

(3) Histor. Arianor. ad Monac. num. 4, tom. I, oper. pag. 847, edit. Maurin.

(4) Epist. XXX, lib. III, pag. 646, edit. Maurin.

(5) Epist. X, lib. IV, pag. 689.

in Salonitana civitate manus imponere praesumerent, nec quempiam in civitate ipsa aliter quam ipse diceret, Episcopum ordinare; et si praeceptionem suam transgrederentur, Dominici Corporis, et Sanguinis participatione privarentur, et quem ordinavissent, non haberetur Episcopus. Item Epistola ad Petrum Episcopum Hydruntinum (1), eidem mandavit, ut, defunctis Episcopis Brundusii, Lupiae et Gallipolis, ad illas se conferret, et visitationem perageret, curaretque, ut iis praeficerentur Sacerdotes tanto ministerio digni, qui ad Pontificem venirent, ut munus consecrationis reciperent. Postmodum Epistola ad Mediolanenses (2) approbat, quod, in locum defuncti Episcopi Constantii, eligerent *Deusdedit*, cui, si nihil esset, quod per sacros canones posset obviare, decrevit, quod ex sua auctoritate solemniter ordinaretur. S. Nicolaus I non destitit increpare Lotharium Regem, quod ad Episcopatum viros sibi solum gratos in Regno suo efferri studeret, adeoque Apostolica auctoritate iniunxit, sub divini iudicii obtestatione, ut in Trevirensi urbe, et in Colonia Agrippinae nullum eligi pateretur, antequam relatum super hoc pontificio esset Apostolatui (3). Insuper Innocentius III Pennensem Antistitem recenter reprobavit, eo quod se ultro episcopali solio immiserit, antequam a Romano Pontifice ad illud vocaretur, vel in illo firmaretur (4). Similiter quoque deiecit Conradum Episcopum a sede tum Hildesiensi, tum Wirtzburgensi, eo quod utramque inconsulto Romano Pontifice arroganter assumpserat (5). Petiit humiliter S. Bernardus ab Honorio II, ut Albericum Catalaunen-

(1) Epist. XXI, lib. VI, pag. 807.
(2) Epist. IV, lib. XI, pag. 1094.
(3) Ivon. Carnot. Decret. part. V, cap. CCCLVII.
(4) Raynald. ad ann. 1099, num. 19.
(5) Albert. Krantz, Metropol. lib. VII, cap. XVII, §. I.

sem suo suffragio electum confirmare dignaretur (1), quod plane ostendit, S. Abbatem agnovisse nullius momenti Episcoporum electiones esse, nisi Apostolica intercederet approbatio.

Postremo cum continuae excitarentur discordiae, tumultus, ceterique abusus, oportuit populum ab electionibus removere, eiusque testimonium, et desiderium circa personam eligendam praeterire.

Quae quidem populi exclusio, si provide tunc est inducta, cum de solis Catholicis ad electiones admittendis agebatur, quid dicendum erit de Decreto Nationalis Conventus, cuius vi, posthabito Clero, electiones huiusmodi Gallicis Districtibus tribuuntur? In quibus cum contineantur Iudaei, Haeretici, et multa Heterodoxorum genera, quorum in episcopalibus electionibus non mediocris pars interesset, tunc illud consequeretur, quod maxime abhorruit, ac ferre noluit S. Gregorius Magnus, qui ad Mediolanenses scribens (2) testatus est: « Nos in hominem qui non a » Catholicis, et maxime a Longobardis eligitur, nulla » praebemus ratione consensum... quia Vicarius S. Am» brosii indignus evidenter ostenditur, si electus a » *talibus* ordinatur. »

Ita enim non solum renovarentur perturbationes omnes, offensionesque iam a tanto tempore abolitae, sed et facile in Episcopos deligerentur viri, qui illos in sua errorum corruptela socios haberent, et magistros, vel qui saltem occulte in animo sensus foverent congruentes sensibus electorum, ut advertit S. Hieronymus (3) dicens: « Nonnumquam errat plebis vul» gique iudicium, et in Sacerdotibus comprobandis,

(1) Epist. XIII, tom. I oper., pag. 88, edit. Maurin.

(2) Epist. IV, lib. XI, pag. 1094 et seq,

(3) Lib. I. advers. Iovin. n. 34, pag. 292. tom. II, oper. edit. Vallars.

» unusquisque suis moribus favet, et non tam bonum, » quam sui similem quaerit praepositum. » Quid autem ab huiusmodi Episcopis, *qui aliunde intrarent quam per ostium*, esset exspectandum, immo quid non timendum in Religionem mali, qui deceptionis laqueo detenti, nullo modo a deceptione poterunt corrigere populum (1)? Illi certe qualescumque essent, nullam haberent ligandi et solvendi potestatem, utpote legitima missione carentes, et extra Ecclesiae communionem esse statim declararentur ab hac Sancta Sede, quod semper facere in huiusmodi casibus in usu habuit, idque nunc etiam publico Programmate declarat in omnibus Episcoporum Ultraiectensium electionibus (2).

Sed in Decreto consequitur aliquid, quod adhuc deterius videtur esse, nimirum electi a suis Districtibus Episcopi iubentur Metropolitanum, vel seniorem adire Episcopum ad obtinendam ab illo confirmationem, quam si ille concedere recusaverit, praescribitur, ut huius repulsae causam in scriptum redigat, utque exclusi interponere possint appellationem *ex abusu* apud magistratus civiles, qui iudicaturi erunt super ipso Metropolitanorum, vel Episcoporum excludentium iudicio, penes quos nempe residet de moribus et doctrina iudicandi potestas, et qui, ut scribit S. Hieronymus (3), constituti fuerunt, ut populum coerceant ab errore. Verum ut magis pateat, quam illegitima sit ac incompetens istaec ad Laicos appellatio, revocandum in memoriam est celeberrimum illud Constantini Imperatoris exemplum. Cum enim multi advenis-

(1) S. Damas. Epist. III, n. 2, inter collect. a Coustant. pag. 482. et 486.

(2) Benedict. XIV, ad univers. Cathol, in foederato Belgio commorantes, in eius Bullar. tom. I, Const. 11.

(3) Advers. Luciferian. n. 5, tom. II, oper. edit. Vallars. p. 176.

sent Nicaeam ad celebrandum Concilium Episcopi, opportunum esse censebant, ut idem interesset Imperator, ad quem posset Arianorum nomen deferri. At Imperator acceptis libellis qui ipsi erant oblati: « Mihi, » inquit, cum homo sim, nefas est huiusmodi rerum » cognitionem arrogare, cum et qui accusant, et qui » accusantur, Sacerdotes sint » (1). Alia item multa adduci possent huius generis exempla; sed nimii in re manifesta esse nolumus. Quod si contra afferatur eius filius Constantius *Catholicae certe Ecclesiae hostis,* qui sibi auctoritatem arrogabat, quam ipsius pater se non habere confessus fuerat, facile est SS. Athanasii (2) et Hieronymi (3) scriptis agnoscere quantopere illa sint facta detestati.

Demum, quid aliud hisce Decretis efficere Conventus voluit, quam evertere, et ad nihilum redigere Episcopatum ipsum, quasi in Illius odium, cuius ministri sunt Episcopi; quibus praeterea permanens decernitur concilium Presbyterorum, qui Vicarii nuncupandi sunt, atque hi, ut sexdecim numero esse debeant, in civitatibus decem millia capitum continentibus, duodecim vero, ubi minor esset numerus incolentium? Alios item adsciscere sibi coguntur Episcopi, illos nimirum qui suppressarum Paroeciarum erant Parochi, hique Vicarii *pleni iuris* appellantur; cuius vi iuris, Episcopis quibus addicti sunt, minime obnoxii esse, subiectique debeant. Quod ad primos pertinet, etsi eorum deligendorum Episcopis relinquatur arbitrium, hi ipsi tamen inhibentur ad ullum iurisdictionis actum, sine illorum nutu (praeterquam provisionaliter) devenire, et eorum quempiam a suo

(1) Sozomen. Histor. eccles. lib. I, cap. XVII, num. 25.

(2) Histor. Arian. ad Monac. n. 52, tom. I, oper. edit. Vallars. pag. 376.

(3) Adversus Luciferian. n. 19, t. II, oper. edit. Vallars. p. 191.

consilio, nisi ex pluribus ipsius consilii suffragiis amovere. Quid hoc aliud est scilicet, quam velle, ut unaquaeque Dioecesis regatur a Presbyteris, qui Episcopi iurisdictionem obruant? Nonne hunc in modum illi contradicitur doctrinae, quae in Actis Apostolorum legitur (1): «Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo? » omnisque sacrae Hierarchiae ordo invertitur prorsus ac perturbatur? Aequantur nempe Episcopis Presbyteri, quod primum asseruit *Aerius* Presbyter, *Wiclephus* porro et *Marsilius de Padua,* et *Ioannes de Ianduno,* quos demum consecutus est *Calvinus,* iuxta collecta a Benedicto XIV in eius Opere de Synodo Dioecesana (2).

Immo ipsis Episcopis anteponuntur Presbyteri, cum illi nequeant horum quemque a consilio removere, aut quidquam decernere, nisi ex pluribus Vicariorum deliberantium, ut diximus, suffragiis. Et tamen Canonici, qui Capitula legitime fundata componunt, quique Ecclesiarum Senatum constituunt, non alia, cum in consilium adhibentur, ferre possunt suffragia, quam tantum, ut appellant, consultativa, quemadmodum ex duobus Conciliis Provincialibus Burdegalensibus firmat Benedictus XIV (3).

Quantum porro ad secundi generis Vicarios pertinet, qui *pleni iuris* nuncupantur, mirabile sane est, ac prorsus inauditum, ut Episcopi teneantur illorum adhibere operam, ad quam recusandam iustas habere possunt causas, et ut, qui non nisi subsidiarias partes gerant, locumque eorum, qui inhabiles non sunt, suppleant, non etiam iisdem, de quorum officio agitur, subiiciantur.

(1) Cap. XX, vers. 28.
(2) Lib. XIII, cap. I, num. 2.
(3) Cit. oper. de Synod. eod. lib. XIII, cap. II, n. 6.

Sed ulterius adhuc est progrediendum. Cum Conventus iste ad statuendam Seminariorum regendorum legem devenerit, Episcopis, ut eligendorum Vicariorum ex universo Clero potestatem fecit, non ita etiam arbitrio reliquit Superiorum, seu Rectorum in Seminariis electionem; vult enim ut haec ab ipso una cum Vicariis, ex maiori suffragiorum numero, peragatur, prohibetque illos ab imposito munere, nisi ex plurium Vicariorum, ut diximus, consensu, removeri. Quis hic non videt, quantum Episcopis diffidatur, quorum est curam habere institutionis et disciplinae illorum, qui in Ecclesiam adlegendi sunt, eiusque obsequiis addicendi? Et tamen nihil certum magis indubitatumque, quam quod caput et summus administer Seminariorum sit Episcopus: et quamquam Tridentina Synodus (1) mandet, ut duo Canonici super ecclesiastica alumnorum disciplina instituantur, eorum tamen electio relinquitur Episcopis, *prout Spiritus sanctus suggesserit*, neque inhaerere eorum iudiciis, neque assentiri consiliis adstringuntur. Nunc vero quantam poterunt Episcopi fiduciam ponere in eorum cura, qui electi ab aliis fuerint, iurata fortasse obstrictis fide, ad infecta illa servanda Conventus Decreta?

Tandem ad Episcopos in extremae abiectionis statum deprimendos, ac in omnium contemptum adducendos, decernitur, ut tribus quibusque mensibus, tamquam mercenariam praestantes operam, tantam recipiant stipem, quanta non possent amplius indigentium, qui magnam populi partem constituunt, aerumnas sublevare, multoque etiam minus suum tueri episcopalis characteris gradum. Haec nova congruae episcopalis institutio ab illa prorsus dissidet, quae attributa Episcopis ac Parochis fuerit in fundis stabilibus, quae ipsi administrarent, fructusque, tamquam

(1) Sess. 23, de reformat. cap. XVIII.

Domini, perciperent; ideoque Ecclesiis *unum mansum* destinatum fuisse reperimus, ut legitur in Capitularibus et Caroli Magni (1), et Regis Lotharii (2): « Volumus, ut secundum iussionem Domini, ac Genitoris Nostri, unus mansus cum duodecim bunnariis » de terra arabili ibi detur. » Et cum assignatae aliquibus Episcopatuum mensis non sufficerent dotes, augebantur Abbatialium fundorum unione, ut saepius in Gallia, ac Nostri etiam Pontificatus tempore factum esse recordamur. Nunc vero, quo vitam ipsam Episcopi tueantur, erit in potestate Laicorum, qui aerario praesunt, quique eos sua illa mercede fraudare valeant, si perversis, quae memoravimus, Decretis adversentur. Huc accedit, ut certa pecuniae parte cuique Episcopo assignata, nemo ex ipsis umquam amplius poterit, cum necessitas adiget, sibi Suffraganeum seu Coadiutorem adsciscere, siquidem ei, quod ad vitam dignitatemque tuendam conveniat, ex Ecclesiae fructibus suppeditare non valebit. Quam certe necessitatem non raro contingere in Dioecesibus novimus vel ob provectam Episcopi aetatem, vel ob male affectam eius valetudinem, ut quidam Lugdunensis Archiepiscopus ob eiusmodi causam et petierat a Pontifice, et obtinuerat Suffraganeum, assignata eidem congrua ex archiepiscopalis mensae proventibus (3).

Cum iam viderimus, Dilecti Filii Nostri, et Venerabiles Fratres, valdeque mirati simus decretam istic esse praecipuorum Disciplinae ecclesiasticae articulorum immutationem, suppressionis nempe, divisionis, et erectionis Episcopalium Sedium, nec non sacrilegae Episcoporum electionis, quaeque ex iis damna consequantur,

(1) Capitular. an. 789, cap. XV, tom. I, pag. 253, edit. Paris. Baluz.

(2) Tit. IV, cap. I, tom. II, pag. 327, eiusd. edit.

(3) Benedictus XIV de Synod. dioec. lib. XIII, cap. XI, num. 12.

nonne idem ob easdem rationes sentiendum erit de Parochiarum suppressionibus, ut Vos ipsi in Vestra Expositione iam animadvertistis? Sed facere non possumus, quin hic adiungamus, quod, praeter commissum Provincialibus Conventibus munus distribuendi, prout ipsis visum fuerit, suos Paroeciis fines, in maximam Nos etiam adduxit admirationem innumerabilis earum suppressio, cum iam Nationalis decreverit Conventus, ut in urbibus, aut oppidis, in quibus sex capitum millia tantummodo censeantur, non nisi una constitueretur Paroecia. Et quo umquam modo unus Parochus sufficere tanto curando populo poterit? Quam ad rem opportunum hic videtur referre, Cardinalem Conradum a Gregorio IX, ad praesidendum Coloniensi Synodo delegatum, hisce verbis interrogasse quendam, qui aderat Parochum, quique vehementer contendebat, ne illuc Fratres Ordinis Praedicatorum inducerentur: « Quis est numerus hominum in Paroecia Tibi subdi» torum? Cum ille esse novem millia respondisset, tum » Cardinalis admiratione iraque commotus: Quis es, » inquit, Tu miserrime, qui tot millibus sufficis debi» tam gubernationis curam impendere? Nescis, homi» num perditissime, quia in illo debes tremendo iu» dicio, ante tribunal Christi, de his omnibus respon» dere? Et Tu, si tales habes Vicarios (Fratres Prae» dicatores) querularis, qui onus tuum gratis relevent, » sub cuius pondere nescius conquassaris? Quia igitur » ex hac querela indignum Te cura omnimode iudi» casti, ideo privo Te omni beneficio pastorali » (1). Et quamvis illic de novem hominum millibus agebatur, hic vero, nimirum a Conventus Decreto, sex tantum millia unius Parochi curae tribuantur; nihilo tamen minus quis non fateatur talem etiam numerum

(1) Abraham Bzov. Annal. Eccles. ad ann. 1222, §. 6, edit. Colon. 1621.

longe longeque unius Parochi vires excedere, ac consequi propterea debere, ut multi ex Parochianis necessario priventur spiritualibus subsidiis, pro quibus ad Regulares, qui iam suppressi sunt, confugere non valebunt?

Transimus iam ad bonorum ecclesiasticorum invasionem, ad alterum scilicet errorem *Marsilii* Patavini, et *Ioannis de Ianduno*, damnatum in Constitutione Ioannis XXII (1), et longe ante Decreto S. Bonifacii I. Papae a pluribus relato (2). « Nulli licet ignorare, » quod omne, quod Domino consecratur, sive fuerit » homo, sive animal, sive ager, vel quidquid fuerit » semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domi» no, et ad ius pertinet Sacerdotum. Propter quod » inexcusabilis erit omnis, qui ea, quae Domino, vel » Ecclesiae competunt, aufert, vastat, et invadit, vel » diripit, et usque ad emendationem, Ecclesiaeque » satisfactionem, ut sacrilegus iudicetur; et si emen» dare noluit, excommunicetur. » Concilium Toletanum VI (3), ibique Loaise littera D, qui Concilii textum illustrat: « Quantum piaculum sit res a fide» libus sincera fide Ecclesiis datas, ab eis auferri, ac » distrahi, multa hoc tempore exstant doctissimorum » virorum scripta, quae brevitatis causa prudens omit» to. Unum tantum subiiciam, quod in Constitutioni» bus Orientalibus scriptum invenio, l. I. Nicephorum » Phocam donationes Monasteriis ac templis relictas » prorsus abolevisse, lege etiam lata, ne Ecclesia » immobilibus locupletaretur bonis; causatus Episco» pos male prodigere ea, quae pauperibus darentur, » militibus interim deficientibus: cuius temerariam

(1) Apud Raynald. ad ann. 1327, num. 28, ac seq.

(2) Apud Coustant. pag. 1050, num. 3.

(3) Habit. ann. 638, Can. 15, in collect. Labbe, tom. VI, p. 1497. et 1502.

» hanc, impietatisque plenam legem Porphyrogeneta
» Dominus Basilius iunior alia lege lata sustulit,
» quam dignam, quae hic apponeretur, existimavi.»
« Imperium nostrum, inquit, quod a Deo profectum
» est, cum et a Monachis, quorum pietas et virtus
» est testata, et a multis aliis, legem de Dei Eccle-
» siis, et sanctis Domibus, vel potius contra Dei Ec-
» clesias, et sanctas eorum Domos, á Domino Nice-
» phoro, qui Imperium invasit, conditam, praesentium
» malorum causam fuisse, et radicem, et universalis
» huius subversionis et confusionis (ut quae ad in-
» iuriam et contumeliam, non solum Ecclesiarum et
» sanctarum Domorum, sed etiam ipsius Dei facta sit)
» intellexisset; et maxime cum id reipsa expertum
» esset; ex quo enim haec lex est observata, nihil
» boni penitus in hodiernum usque diem vitae no-
» strae occurrit, sed contra nullum penitus calamitatis
» genus defuit, statuit per praesentem auream Bullam,
» ut lex praedicta ab hoc praesenti die cesset, et dein-
» ceps infirma, et irrita permaneat, et locum habeant,
» et in usu sint, quae de Dei Ecclesiis, et sanctis et
» religiosis Domibus factae sunt leges.»

Hoc antiquissimum et constans fuit tam optimatum, quam populi Francorum desiderium. Obtulerunt enim anno 803 Carolo Magno sequentes preces (1): «Fle-
» xis omnes precamur poplitibus Maiestatem Vestram,
» ut Episcopi deinceps, sicut hactenus, non vexentur
» hostibus, sed quando Vos, nosque in hostem pergi-
» mus, ipsi propriis resideant in Parochiis . . . Illud
» tamen Vobis et omnibus scire cupimus, quod non
» propterea hoc petimus, ut eorum res, aut aliquid ex
» eorum pecuniis, nisi ipsis aliquid sponte Nobis dare
» placuerit, aut eorum Ecclesias viduari cupiamus, sed
» magis eis, si Dominus posse dederit, augere deside-

(1) Capitular. tom. I, pag. 405.

» ramus, ut et ipsi, et Vos, et nos salviores simus, » et Deo potius, ipso adminiculante, placere merea» mur. Scimus enim res Ecclesiae Deo esse sacratas; » scimus eas esse oblationes omnes fidelium, et pretia » peccatorum; quapropter, si quis eas ab Ecclesiis, qui» bus a fidelibus collatae, Deoque sacratae sunt, au» fert, procul dubio sacrilegium committit; caecus enim » est, qui ista non videt. Quisquis ergo nostrum suas » res Ecclesiae tradit, Domino Deo illas offert, atque » dedicat, suisque Sanctis et non alteri, dicendo talia » et agendo ita; facit enim scripturam de ipsis rebus, » quas Deo dare desiderat, et ipsam scripturam coram » altari, aut supra tenet in manu, dicens eiusdem loci » Sacerdotibus atque custodibus: Offero Deo, atque de» dico omnes res, quae hac in cartula tenentur inserta, » pro remissione peccatorum meorum atque parentum » et filiorum .... Qui eas inde postea aufert, quid » agit, nisi sacrilegium? Si ergo amico quidpiam ra» pere furtum est, Ecclesiae vero fraudari, vel au» ferri, indubitanter sacrilegium est ... Ut ergo haec » omnia a Vobis, et a nobis, sive a Successoribus Ve» stris, et a nostris, futuris temporibus, absque ulla » dissimulatione, conserventur, scriptis Ecclesiasticis » inserere iubete, et inter Vestra capitula interpolare » praecipite. »

Ad haec respondit Imperator (1): «Modo ista, sicut » petiistis concedimus ... Novimus enim multa Regna, » et Reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias » spoliaverunt, resque earum vastaverunt, alienave» runt, vel diripuerunt, Episcopisque, et Sacerdotibus, » atque, quod magis est, Ecclesiis eorum abstulerunt... » et ut haec devotius per futura tempora conserven» tur, praecipientes iubemus, ut nullus tam Nostris, » quam futuris temporibus, a Nobis, vel Successoribus

(1) Capitular. tom. eod. pag. 407 et 411.

» Nostris, ullo umquam tempore, absque consensu et
» voluntate Episcoporum, in quorum Parochiis esse
» noscentur, res Ecclesiarum petere, aut invadere,
» vel vastare, aut quocumque ingenio alienare prae-
» sumat. Quod si quis fecerit, tam Nostris, quam et
» Successorum Nostrorum temporibus, poenis sacrile-
» gii subiaceat, et a Nobis, atque Successoribus No-
» stris, Nostrisque Iudicibus, sicut sacrilegus, et ho-
» micida, vel fur sacrilegus, legaliter puniatur, et ab
» Episcopis Nostris anathematizetur.»

Sed quisquis partem habet in hac usurpatione, perlegat vindictam, quam Dominus fecit de Heliodoro, eiusque cooperatoribus, qui rapere tentaverant thesauros de templo, contra quos: «Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suae ostensionis evidentiam: ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute in dissolutionem, et formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit; qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo iuvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant sine intermissione, multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus cecidit in terram, eumque multa caligine circumfusum, rapuerunt, atque in sella gestatoria positum iniecerunt.» Ita legitur lib. 2 Machabaeorum (1), et tamen agebatur de pecuniis, quae non pertinebant *ad rationem sacrificiorum,* nec propriae templi erant, sed inibi asservatis pro alimonia pupillorum, viduarum et aliorum; nihilominus, ob violatam templi maiestatem et sanctitatem, et rei alienae usurpationem, inflixit Dominus gravissimam illam Heliodoro, eiusque sociis

(1) Cap. III, vers. 24 ad 28.

poenam. Hoc exemplo perterrefactus Imperator Theodosius destitit abripere depositum cuiusdam viduae asservatum in Ecclesia Ticinensi, ut enarrat S. Ambrosius (1).

Atque hic quis umquam sibi persuadeat, quod cum occupentur, atque usurpentur Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque Catholicorum bona, praeserventur contra fundi Protestantibus, quos ipsi in Religionem rebellantes invaserant, adducta conventionum causa? Scilicet penes Nationalem Conventum illae cum Protestantibus conventiones valuerunt, sanctiones vero canonicae, sanctaeque huius Sedis cum Rege Francisco I. pacta non valuerunt; placuitque illis in ea re gratificari, in qua Dei Sacerdotium disperdebatur. Sed quis non facile intelligat, in hac bonorum ecclesiasticorum occupatione, inter cetera in animo haberi, spectarique, ut sacra profanentur templa, ut Ecclesiae Ministri in omnium contemptum adducantur, utque alii in posterum a sorte Domini deligenda deterreantur? Vix enim ea usurpari bona coeperant, cum statim divini cultus abolitio consecuta est, occlusa templa, sacrae supellectiles amotae, et cessare iussus in ecclesiis divinorum Officiorum cantus. Hactenus gloriari potuit Gallia iam VI. saeculo penes se introducta floruisse saecularium Clericorum Collegia, seu Capitula, ut videre est apud Gregorium Turonensem (2), patetque ex aliis monumentis, quae a Mabillonio in veter. Analect. adducuntur (3), atque a Concilio III. Aurelianensi habito anno 538 (4). Sed modo cogitur Gallia ipsa eorum deflere abolitionem adeo iniuste, atque

(1) Lib. II de Offic. cap. XXIX, n. 150 et 151, tom. II, oper. pag. 106, edit. Maurin.

(2) Histor. Francor. lib. X, §. XVI, pag. 585.

(3) Pag. 259. ed. Paris. 1722.

(4) Canon. 11 pen. Labbe, tom. V, Concil. p. 1277.

indignè in Nationali Conventu decretam. Erat praecipua Canonicorum occupatio divinas laudes, quotidie in Ecclesiis canendo, coniunctim persolvere, ut habetur in vitis Episcoporum Metensium (1), apud Paulum Diaconum, ubi legitur: « Episcopus Chrodegandus » Clerum abundanter Lege divina, Romanaque imbu» tum cantilena, morem, atque ordinem Romanae » Ecclesiae servare praecepit. » Cum Imperator Carolus Magnus ad Adrianum I. transmisisset opus De sacris imaginibus, ut ab ipso examini subiiceretur, hac opportunitate Pontifex ipsum hortatus est, ut plures Galliarum Ecclesiae, quae quondam Apostolicae Sedis traditionem in psallendo recipere recusabant, eam cum omni diligentia amplecterentur, ut cui adhaeserant fidei munere, adhaererent quoque psallendi ordine. Verba Caroli Magni longa enarratione legi possunt apud *Georgium* de liturgia Romani Pontificis (2). Ulterius idem Imperator voluit, ut in Monasterio Centulensi institueretur schola Cantorum, ad instar illius, quam Romae instituit S. Gregorius Magnus, in eaque centum pueri alerentur, qui per tres choros divisi Monachis inservirent in auxilium psallendi et cantandi (3). Et consonat, quod recenter confirmavit *Colomanus Sanftl,* Monachus Bibliothecarius in Monasterio S. Emmerami Ratisbonae, in dissertat. (Nobis dicata) in aureum, ac pervetustum SS. Evangeliorum codicem mss. eiusdem Monasterii (4). « Principio id maxime cura» runt Gallicani, Hispanique Episcopi, ut in quavis » provincia uniformis in Divinis Officiis ritus servare» tur: exstant varia hac de re decreta tum apud Gal» los, tum apud Hispanos: insignis est imprimis Con-

(1) Tom. XIII Biblioth. PP. edit. Lugd. pag. 331.
(2) Tom. II, dissertat. I, cap. VII. §. VI.
(3) Georg. loc. cit. §. VII.
(4) Part. I, Praeliminar. §. I, num. 2 et 3.

» stitutio Toletani Concilii IV. (habiti anno 521), » *Cuius* Patres, post expositam Catholicam fidem, » nihil antiquius habuerunt, quam ut uniformem psal» lendi modum adstruerent. Canon. 2.» Ita antiquum huiusmodi ritum indicat Mabillonius in disquisitione de cantu Gallicano (1).

Quod igitur iam ab antiquissimis saeculis Ecclesia Gallicana instruere ac stabilire tantopere studuit, ut sui Ecclesiastici in Canonicorum gradu decora sacri muneris occupatione detinerentur, utque fideles tanto magis ad Ecclesias, eorum perfunctione invitati concurrerent, ad contemplanda divina mysteria, ad consequendam Dei gratiae reconciliationem; idipsum modo Nationalis Conventus uno Decreto suo, non sine plurima omnium offensione, repente sustulit, evertit, abolevit; qua in parte sequutus est (sicut in cunctis Decreti articulis) haereticorum dictamen, ac in praesenti deliria *Wiclefistarum*, *Magdeburgensium Centuriatorum*, *et Calvini*, qui in cantus ecclesiastici antiquitatem, et usum debacchati sunt, contra quos copiose agit P. Martinus *Gerbert*, Abbas Monasterii et Congregationis S. Basilii in Sylva Nigra (2). Qui, cum anno 1782 Vindobonam Religionis causa accessimus, pluries Nos adiit, Nobisque coram comprobavit, quam merito tam illustrem sui nominis famam sibi comparaverit.

Sed expendant oportet Decreti auctores, quid in Synodo Atrebatensi, anni 1025 (3), huiusmodi psalmodiae hostibus historice et dogmatice edicitur, ut maiori semper verecundia perfundantur. « Quis autem

(1) In calce suae Gallic. Liturg. §. V, num. 49, p. 418, edit. Paris. 1729.

(2) De cantu et musica sacra, tom. II, lib. IV, cap. II.

(3) Cap. XII, de psallendi officio in collect. Labbe, tom. XI, pag. 1181 et seq.

» dubitet Vos immundo spiritu agitari, dum hoc, » quod per Spiritum sanctum prolatum, atque institutum est, id est usum psallendi in S. Ecclesia abiicitis, et quasi superstitiosum errori cultum imputatis? Sumpsit ergo hanc modulandi formam Ordo » Ecclesiasticus non ex ludicris aut iocularibus inspectationibus, sed ex veteris et novi Testamenti Patribus.... unde constat eos de gremio S. Ecclesiae » exterminandos, qui hoc psallendi officium iudicant » nequaquam ad cultum divinum pertinere... Patet » igitur tales a capite suo, id est, diabolo non dissentire, qui est caput omnium iniquorum, qui etiam » Scripturam sacram intelligens, sinistra eam interpretatione pervertere molitur.» Demum, si Domus Dei decor, et cultus in isto Regno prolabatur, necessario consequetur, ut Ecclesiasticorum numerus deficiat, illudque contingat, quod S. Augustinus (1) refert accidisse Iudaeorum genti: «Quae postquam coepit » non habere prophetas, procul dubio deterior facta » est, eo scilicet tempore, quo sperabat futuram esse » meliorem.»

Inceptam iam prosequentes viam, gradum ad ipsos Regulares facimus, quorum bona sibi Conventus Nationalis arrogavit, minus odiosum tamen praetexens titulum, ut scilicet eorum fructibus uti posset; quod reipsa quantulum a vera distat dominii proprietate! Si quidem, edito die 13 Feb. 1790 decreto, ac post sex dies regia sanctione confirmato, suppressa omnia fuerunt Regularium instituta, vetitumque etiam, ne ulla alia in posterum admitterentur. At vero quantam illa Ecclesiae utilitatem afferant, ex ipsa deducit experientia Concilium Tridentinum (2): «Quoniam non

(1) De civit. Dei, lib. XVIII, cap. XLV, num. 1, tom. VI, oper. pag. 527, edit. Maurin.

(2) Sess. 25, de regular. cap. I.

» ignorat S. Synodus, quantum ex monasteriis pie » institutis, et recte administratis in Ecclesia Dei splen» doris atque utilitatis oriatur. » Ac profecto omnes Ecclesiae Patres Regularium Ordines summis laudibus exornarunt, inter quos S. Ioannes Chrysostomus, qui tribus integris libris, contra illorum oppugnatores, acerrime decertavit (1). Et postquam S. Gregorius Magnus monuerat Marinianum Ravennae Archiepiscopum, ne adversus Monasteria gravamina exerceret, sed deberet ea defensare, et Religiosos illuc summopere congregare (2), convocavit Concilium Episcoporum et Presbyterorum, in eoque decretum edidit « quod » nullus Episcoporum aut saecularium ultra praesumat » de reditibus, rebus, vel chartis Monasteriorum, » vel de cellis, vel villis, quae ad ea pertinent, » quocumque modo, seu qualibet occasione minuere » vel dolo malo, vel immissiones aliquas facere » (3). Insurrexit postmodum saeculo XIII. *Guillelmus de Sancto Amore*, qui libro *de periculis novissimorum temporum*, totus fuit in deterrendis hominibus a conversione, et a Religionis ingressu; sed liber iste in examen revocatus a Pontifice Alexandro IV, *iniquus, scelestus, exsecrabilis, et nefarius esse* declaratus est (4).

Adversus praefatum Guillelmum scripserunt, eumque refutarunt duo Ecclesiae Doctores, S. Thomas Aquinas (5), et S. Bonaventura (6). Et quoniam eandem

(1) Tom. I, oper. edit. Maurin. a pag. 44 ad 118, et Opuscul. de comparation. Regis et Monachi, tom. eod. a pag. 116 ad 121.

(2) Epist. XXIX, litt. A, lib. VI, tom. II, oper. edit. Maurin.

(3) In appendic. epistolar. S. Gregorii Magni cit. tom. II, p. 1294. num. 7.

(4) Constit. 35, int. illas eiusd. Pontif. in Bullar. Rom., tom. III. pag. 378, edit. Rom. 1740.

(5) Tom. XXV, oper. edit. Paris. 1660, pag. 533 ad 666.

(6) Libell. apologetic. tom. VII, oper. edit. Lugd. 1668, pag. 346 ad 385.

damnatam sententiam renovavit *Lutherus*, damnationem et ipse subiit a Pontifice Leone X. (1). Pariter in uno ex Conciliis Rothomagensibus anni 1581 (2), moniti fuerunt Episcopi, ut subsidiarios Regulares tuerentur, et caros haberent, atque alerent sicut coadiutores, omnesque illis factas iniurias et contumelias, suas esse existimarent et propulsarent. Memorabilia semper erunt pia vota Divi Ludovici IX, Galliarum Regis, cui in animo insederat, ut duo, quos in orientali expeditione susceperat filios, cum ad annos discretionis pervenissent, intra septa Monasterii enutrirentur; alter apud Dominicanos, apud Minoritas alter, ut sacris institutis, et litteris instruerentur, et ad amorem Religionis inducerentur, desiderans toto corde, ut documentis salutaribus informati, Domino inspirante, loco, et tempore ipsas Religiones intrarent (3). Novissime vero auctores operis inscripti (4) « Nouveau traité de diplomatique » (5), cum refellerent adversarios exemptionum Regularium, haec in verba proruperunt (6): « Quelle attention peuvent donc » mériter les déclamations de l'historien du *Droit*

(1) Bulla in collect. Concilior. Labbe, tom. XIX, pag. 1058.

(2) In ead. collect. Labbe, cap. de Curator. offic. n.41, tom.XXI. pag. 651.

(3) Vita S. Ludovici, cap. XIV, inter Francor. script. collect. a Duchesne, tom. V, pag. 448 in fin.

(4) « Novus tractatus diplomaticus. »

(5) Où l'on examine les fondements de cet art. tom.V, pag. 379. in fin. et 480, edit. Paris. 1762.

(6) « Quam attentionem possunt igitur mereri declamationes » editae ab historico *Iuri publici Ecclesiastici Gallici*, adversus » privilegia Monasteriis concessa; privilegia, inquit, et exemptiones, quae concedi non potuere, nisi eversa Hierarchia, nisi violatis Episcopatus iuribus, quaeque sunt veri abusus, et maximos » abusus invexerunt? *Quanta temeritas* sic insurgere adversus » disciplinam tam antiquam tantaque auctoritate fultam in Ecclesia » et Regno! »

» *public Ecclesiastique Francais,* contre les priviléges » accordés aux Monastères; priviléges, dit-il, et » exemptions, qui n'ont pu être accordées, sans ren- » verser la Hiérarchie, sans violer les droit de l'Epis- » copat, et qui sont de vrais abus, et en ont produit » de fort considérables? *Quelle témérité* de s'élever » ainsi contre une discipline si ancienne, si autorisée » dans l'Eglise et dans l'Etat! »

Non hic inficiamur, neque mirum cuiquam videatur, apud aliquos Regulares remissiorem aliquando, languidioremque effectum esse posse suorum Institutorum spiritum, neque pristinum disciplinae ab iis praescriptae rigorem retineri. At propterea ne abolendi illi sunt Ordines? Audiatur hanc ad rem, quod in Concilio Basileensi obiecit *Petro Bayne* Regulares oppugnanti *Ioannes de Polemar.* Iste minime quidem negavit invaluisse aliqua inter Regulares reformatione digna: illud tamen adiunxit, quod « licet in Religiosis multa » sint, hoc tempore, quae reformatione indigent, sicut » et in ceteris statibus; tamen nihilominus multum » illuminant Ecclesiam praedicationibus, et doctrinis; » et nemo prudens in caliginoso loco exsistens, lucer- » nam exstinguit non bene sibi lucentem, sed habentem » succum, seu scoriam, curat aptare, quo melius » potest. Nam melius est, quod aliquantulum tur- » bide luceat, quam si penitus esset exstincta » (1). Quae plane sententia ab alia derivatur, quam S. Augustinus tanto ante protulerat, nimirum (2): « Num- » quid ideo negligenda est medicina, quia nonnullo- » rum insanabilis est pestilentia? »

Quapropter Regularium abolitio, a Conventu Nationali plaudente haereticorum commentis decreta, lae-

(1) In collect. Labbe, tom. XVII, pag. 1231.

(2) Epist. XCIII, num. 8, tom. II, oper. pag. 231, edit. Maurin.

dit statum publicae professionis consiliorum Evangelicorum; laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam, tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam; laedit ipsos insignes Fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non nisi a Deo inspirati eas instituerunt societates. Sed ulterius etiam progreditur Conventus Nationalis, statuitque in Decreto die 13 Februarii 1790, se nequaquam recognoscere solemnia Religiosorum vota; et consequenter declarat Ordines et Congregationes Regulares, in quibus illa emittuntur, suppressas esse in Gallia, et suppressas remanere, neque umquam restitui in posterum posse. Quod quid est aliud, quam manus in vota maiora ac perpetua immittere, eaque abolere, quae tantummodo ad Pontificiam spectant auctoritatem? Vota vero maiora, inquit S. Thomas (1), puta continentiae, etc. summo Pontifici reservantur. Cumque agatur de promissione Deo solemniter *facta ad nostram utilitatem,* ideo in Psalm. 75. vers. 12. legitur: « Vovete et reddite » Domino Deo Vestro; » et in Ecclesiaste (2): « Si quid » vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei » infidelis et stulta promissio, sed quodcumque vo» veris, redde. »

Praeterea, cum ipse etiam summus Pontifex peculiaribus pro tempore inductus rationibus, existimet concedendam a se esse solemnium votorum dispensationem, in idipsum, non ex potestatis suae arbitrio, sed per modum declarationis, procedit. Neque mirum hic videri debet *Lutherum* docuisse, *vota non reddere Domino Deo suo,* cum ipse fuerit apostata, et Religionis suae desertor. At, ut ipsa Conventus Nationalis consultissima, ut sibi videntur, membra reprehensionem, exprobrationemque effugerent, quam,

(1) 2. 2. quaest. 88, art. 12 in fin.
(2) Cap. V. vers. 3.

ex tot dispersorum Religiosorum conspectu, in sese obventuram agnoscebant, iisdem suae professionis habitum ademerunt, ne ulla remaneret praeteriti status, a quo deturbati erant, species, ac ipsa etiam aboleretur Ordinum memoria. Suppressi igitur ipsi Ordines sunt, tam ut in eorum invaderetur bona, quam ne amplius quisquam exsisteret, qui populos ab errore, ac a morum corruptione revocaret. Hoc ipsum tam pravum ac tam pestilens artificium graphice describitur, reprobaturque a Concilio Senonensi, quod ab initio laudavimus: « Monachis et aliis voto ob» strictis libertatem lasciviendi indulgent; quibus re» licto velo, et abiecta cuculla ad saeculum redeundi » facultatem relaxant, et apostasiam permittunt, Ro» manorum Pontificum Decreta, Decretales Episto» las etiam, et Canones conciliares enervare conten» dunt» (1).

Ad ea, quae modo exposuimus de votis regularibus, adiicere oportet immane iudicium latum adversus sacras Virgines, eas a suis claustris eiiciendo, ut egit *Lutherus*, qui « Sancta illa Deo vasa polluere non » veretur, consecratasque Christo Virgines, et vitam » monasticam professas extrahere e Monasteriis suis, » et mundo, immo diabolo, quem semel abiuraverunt, » reddere » (2). Cum Moniales (pars Catholici Gregis illustrior) saepe per suas orationes gravissima a civitatibus averterint pericula, ut suo tempore Romae evenisse S. Gregorius Magnus agnoscit, « si ipsae, » inquiens, (Moniales) non essent, nullus nostrum, » iam per tot annos in hoc loco subsistere, inter » Longobardorum gladios, potuisset » (3). Et Bene-

(1) In collect. Labbe, tom. XIX, pag. 1156 et 1158.

(2) Hadrianus VI, in brevi ad Frideric. Saxoniae Duc. advers. Luther. in collect. Labbe, tom. XIX, pag. 1064.

(3) Epist. XXVI, lib. VII, pag. 872. edit. Maurin.

dictus XIV, loquens de suis Monialibus Bononiensibus, fatetur: « Urbem Bononiae multis abhinc an» nis tot calamitatibus iactatam stare non potuisse, » nisi preces assiduae nostrarum Monialium incensam » Dei iracundiam mitigassent » (1).

Interea Moniales, quae nunc in Gallia maximis perturbationibus agitantur, in plurimam commiserationem Nos adduxerunt; cum magna earum pars ex universis istis provinciis dolorem Nobis suum per litteras exponerent, quod in suis retinendis institutis, votisque solemnibus servandis impedirentur, unaque declararent certum sibi, fixum, deliberatumque esse animo, prius quaecumque aspera subire ac pati, quam a vocatione sua recedere. Proinde non possumus apud Vos, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, non amplissimum illarum constantiae, et fortitudinis testimonium exhibere, a Vobisque vehementer petere, ut iisdem hortationis vestrae stimulos adiungatis, ac subsidia, quantum in Vobis erit, omnia deferatis.

Possemus adhuc ad alia animadvertenda pergere super illo Conventus Decreto, siquidem a principio usque ad illius exitum, nihil fere in eo est, quod non sit cavendum, ac reprehendendum; omnesque eius sensus inter se adeo nexi consentientesque sunt, ut vix ulla pars sit ab erroris suspicione libera. Sed cum iam declarassemus potiora, quae in eo sunt errorum monstra, atque interim, quod minime exspectabamus, in publicis foliis perlegissemus, Episcopum Augustodunensem suo se sacramento in eius Decreti verba obstrinxisse, tanto dolore pene exanimati fuimus, ut haec, quae ad vos scribimus, intermittere deberemus. Afflictio nostra mirum in modum augebatur, ut *per diem ac noctem non tacuerit pupilla oculi nostri*, cum videremus eum Episcopum ab illis disiungi, sepa-

(1) Institut. Ecclesiastic. 296 pag. 142. edit. Rom. 1747.

rarique a collegis suis, unumque ex omnibus hactenus esse, qui Deum in suorum errorum testem adduceret. Et quamvis ipse conatus sit tueri se, ac immunem praestare in uno tantum articulo attingente dioecesium restrictiones, populorumque ad alias dioeceses translationes, cum fucum facere ignaris vellet, atque illudere, illa prorsus inepta comparatione usus est, totius nimirum populi, qui ob publicas aerumnas, aut alia urgente necessitate, per civilem cogitur potestatem de una ad aliam transire dioecesim. Differunt enim maxime inter se duo haec exempla; quoniam ubi populus sua dioecesi relicta, se transfert ad aliam, Episcopus eius dioecesis, ad quam accedit, propriam et ordinariam exercet, intra fines suae dioecesis, in novos incolas iurisdictionem; iurisdictionem, inquimus, non a civili potestate quaesitam, sed quam iuri suo referre debet acceptam. Iuris quippe est, ut qui in dioecesi degunt, ii omnes, ratione domicilii et incolatus, ad Episcopum pertineant, in cuius dioecesi morantur. Quod si accidat, ut episcopus dioecesis, a quo populus abscedit, sine plebe remaneat, non idcirco fiet umquam, ut Pastor sine Grege desinat Episcopus esse, aut Ecclesia nomen Cathedralis amittat: sed tam episcopus, quam Ecclesia, sua retinet iura episcopatus et cathedralitatis, uti est de Ecclesiis sive per Turcas, sive per alios infideles occupatis, quae episcopis titularibus saepe conferuntur. Contra vero, ubi dioecesium fines ita variantur, ut vel integrae, vel earum partes ab episcopo, ad quem pertinent, ad alium transferantur, tunc sane, deficiente legitima Ecclesiae auctoritate, nequit Episcopus, cui vel integra dioecesis adimitur, vel pars eiusdem decerpitur, deserere gregem sibi concreditum, et nequit alter episcopus nova dioecesi illegitime auctus, suas alienae dioecesi manus immittere, et regimen alienarum ovium

suscipere. Missio enim canonica, et iurisdictio, quam quisque habet episcopus, certis septa est limitibus; nec umquam civilis auctoritas efficere poterit, ut illa aut latius pateat, aut intra arctiores limites coerceatur.

Nihil ergo magis insipienter excogitari potuit illa comparatione, quae de transitu populi ad alienam dioecesim, deque nova dioecesium, earumque finium immutatione obtruditur. In primo enim casu, eam exercet episcopus iurisdictionem, quam in sua dioecesi proprio sibi vindicat iure; contra vero in altero casu, eam ipse iurisdictionem extendit, quae in aliena dioecesi nulla ratione spectare ad illum potest. Nihil itaque, praestito ab Augustodunensi sacramento, reperimus, quo se possit, ex catholico sensu, in ulla impietatis parte defendere. Inter conditiones, quae ad licitum iusiurandum requiruntur, praecipuae sunt, ut verum illud sit et iustum. Ubi nunc veritas, ubi iustitia esse potest, quando ex iam superius adductis principiis, nihil illic, nisi falsum atque iniustum deprehenditur? Nec iam poterit Augustodunensis ullo se modo excusare, si dicat praecipitanter illic atque inconsiderate se gessisse. Nonne consulto, cogitatoque ad sacramentum processit, cum ipsum falsis munire satageret rationibus, cumque iam intellexisset, quae ceterorum episcoporum essent sententiae docte pieque impugnantium Conventus decretum, cumque iam non posset non prae oculis habere aliud plane oppositum, in sua adhuc recenti consecratione emissum sacramentum? Itaque omnino dicendum est illum lapsum esse in voluntarium et sacrilegum periurium, quod nempe Ecclesiae dogmatibus, eiusque certissimis iuribus adversatur.

Atque hic opportune commemoranda existimamus ea, quae in Anglia, Regis Henrici II tempore, acciderunt. Is plane simile Decretum, paucioribus tamen

verbis exscriptum, fecerat, per quod Ecclesiae Anglicanae libertatem abolens, primatus sibi iura ibidem arrogabat. Ipsum Episcopis proponens imperavit, ut in eius Decreti verba iurarent, in *avitas* scilicet, ut appellabat, *Regni consuetudines*. Illi cum parerent, in iurando tamen hanc adiiciebant clausulam, *salvo ordine suo;* sed haec clausula Regi non placebat, cum diceret: *Verbo illi venenum inesse, et captiosum esse illud: Salvo ordine suo*. Iubebatque, ut *absolute et absque adiectione regias consuetudines observaturos promitterent*. Etsi eo responso perculsi, metuque consternati essent Episcopi, tamen ad resistendum excitabantur ab Archiepiscopo Cantuariensi, postea martyre S. Thoma. Atque eos confortabat Pontifex, et ad constantiam in munere pastorali cohortabatur. «Sed » in dies gravissimis crebrescentibus vexationibus et » malis, Episcopi aliqui exorabant Archiepiscopum, ut » sui misereretur, et Cleri, et quod pertinaciam rela» xaret, ne ipse carcerem, et Clerus exterminium pa» teretur. Vir invictae constantiae, et in Petra Christi » fundatus, et usque tunc nec blanditiis emollitus, nec » terroribus concussus, tandem potius super Clerum, » quam super se miseratione motus, a gremio veri» tatis, ac a sinu matris avellitur.» Post eum alii iurarunt Episcopi; sed Archiepiscopus cum agnovisset errorem suum, maximo oppressus dolore ingemuit, et suspirans ait: «Poenitet, et graviter perhorrescens » excessum, me ipsum indignum iudico de cetero ad » eum accedere in Sacerdotio, de cuius Ecclesia con» traxi tam vile commercium. Silebo itaque sedens in » moerore, donec visitaverit me Oriens ex alto, et per » ipsum Deum, et Dominum Papam merear absolvi. » Videre enim iam mihi videor, quod, meis peccatis » exigentibus, debeat ancillari Anglicana Ecclesia, » quam mei Praedecessores inter tot et tanta, quae

» mundus novit pericula, rexerunt tam prudenter, pro » qua inter hostes eius militaverunt tam fortiter, et » triumphaverunt tam potenter; scilicet, quae ante » me exstitit domina, per me miserum videtur ancil- » landa, qui utinam consumptus essem, ne oculus me » videret.»

Festinanter misit Thomas Litteras ad Pontificem, eique vulnus detexit, medicinam quaerens absolutionem postulavit; et Pontifex agnoscens, Thomam non ex propria voluntate, sed ex improvida pietate iuramentum emisisse, iusta commotus miseratione, apostolica absolvit auctoritate. Litteras Pontificias, tamquam caelitus sibi missas Thomas suscepit, nec destitit Regem suaviter fortiterque monere, ea ingerens, quae ad Ecclesiae laesionem currentem Principem merito retardare debuissent. Interim Rex certior factus, quod Thomas ab inita promissione desciverat, misit Litteras ad Pontificem, quibus duo sibi concedi postulavit. Primum, ut consuetudines regiae Romae probarentur; alterum, ut Apostolicae legationis praerogativa a Cantuariensi Ecclesia ad Eboracensem transferretur. Primam petitionem Pontifex reiecit, ut ex Litteris Thomae directis: alteram admisit, salva honestate Ecclesiastici Ordinis, et per alias Apostolicas Litteras scriptas Episcopo Eboracensi mandavit, ut se abstineret ab actis iurisdictionis in provincia Cantuariensi, neve in illam crucem deferret. Postmodum Thomas aufugit in Gallias, et deinde Romam, et a Pontifice humaniter exceptus, produxit scriptum, in quo legebantur regiae consuetudines, quae sexdecim capitulis continebantur, eaeque recognitae, reiectae fuerunt. Tandem Thomas in Angliam reversus, intrepidus ad supplicium processit, et memor divini praecepti: « Qui vult venire » post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, » et sequatur me; » Ecclesiae ostia patefecit lictoribus,

seseque Deo, Beatae Mariae, et Sanctis suae Ecclesiae Patronis ferventer commendans, acceptis in capite vulneribus, pro lege Dei et Ecclesiae libertate, gloriosi martyrii palmam reportavit. Haec excerpimus ab *Arfold.* Annal. Ecclesiae Anglicanae (1).

Quis ex his non statim agnoscat, ut simillima sint Nationalis Conventus et Henrici II gesta? A Conventu emanarunt Decreta Ecclesiasticam auctoritatem sibi arrogantia; ab eodem omnes ad iurandum compelluntur, praecipue Episcopi, aliique Ecclesiastici: ac in eum ipsum transfertur sacramentum, quod Romano Pontifici praestant Episcopi. Occupati sunt ecclesiastici fundi, ut fuerunt ab Henrico, quorum S. Thomas restitutionem flagitavit. Coactus est Christianissimus Rex ei Decreto suam interponere sanctionem. Eidem denique Conventui cum proposita fuerit Declaratio, qua Episcopi, distinctis civilibus ab ecclesiasticis iuribus, illa se agnoscere, et adimplere velle professi sunt, respuentes cetera, quae extra Conventus posita sunt potestatem, ad instar praestantium Christianorum militum, qui inserviebant Iuliano apostatae, quos celebrat S. Augustinus his verbis (2): « Iulianus exstitit » infidelis Imperator, exstitit apostata, iniquus idolola» tra, milites Christi servierunt imperatori infideli: » ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant » nisi Illum, qui in caelo erat; si quando volebat ut » idola colerent, ut thurificarent, praeponebant illi » Deum; quando autem dicebat: Producite aciem, ite » contra illam gentem; statim obtemperabant: distin» guebant Dominum aeternum a Domino temporali; » nihilominus Conventus Nationalis etiam reiecit Declarationem, sicut Henricus II admittere recusavit supra

(1) Tom. IV. ann. 1064 ad 1171.

(2) Enarr. in Psalm. 124. n. 7 in fin. tom. IV, oper. pag. 1416, edit. Maurin.

*

enunciatam clausulam *salvo ordine suo*. A primo ad ultimum caput, inter se plane consentiunt improbi tam Conventus, quam Henrici Regis conatus. At non solum Conventus iste Henricum II, sed imitatus est VIII etiam, qui cum sibi Ecclesiae Anglicanae primatum usurpasset, omnem eam potestatem, in Cromwelem Zuvinglianum transtulit, eumque Vicarium suum generalem circa spiritualia declaravit, ipsi visitationem omnium Regni coenobiorum committens; atque is a coniuncto sibi, prorsusque consentiente Cranmero amico suo, lustrationem eam peragi in sua provincia fecit, omnem impendens curam, ut Ecclesiasticus iste Regis primatus stabiliretur, in eoque potestas omnis posita esse agnosceretur, quam Ecclesia a caeli Rege Christo Domino sibi tantum commissam receperat. Hae ipsae visitationes peragebantur per Monasteriorum suppressiones, sacrilegamque bonorum ecclesiasticorum depraedationem, eodemque tempore et in Romanum Pontificem odio, et habendae alienae rei cupiditati, atque avaritiae satisfiebat. Ut tum Henricus VIII simulavit, nihil aliud in sacramenti formula Episcopis propositi contineri, nisi civilem, et saecularem obedientiam, ac fidelitatem, cum revera abolitionem Pontificiae auctoritatis includeret; ita nunc praevalens Gallicus Conventus praefigens suo illi Decreto titulum « Sur la » Constitution civile du Clergé » (1), revera omnem Capitis Ecclesiae potestatem abrogavit, prohibens Episcopis, ne alias Nobiscum partes peragerent, quam ut Nos eorum, quae iam sine Nobis acta, expletaque essent, facerent certiores. Quis illa Conventus membra in animo tum habuisse non existimet, sibique proposuisse adoptanda in sua Constitutione Angliae Regum II et VIII Henrici Decreta? Secus enim, qua ratione expressam horum formam assequi potuissent? Illud ta-

(1) « Super Constitutione civili Cleri. »

men discrimen intercedit, quod haec recentia aliquanto sint pristinis illis deteriora.

Sed cum iam inter se contulerimus duorum Henricorum, et Nationalis Conventus acta, progrediamur nunc ad pariter invicem comparandum Episcopum Augustodunensem cum aliis collegis suis; et ne minutim omnia persequendo delassemur, satis erit prae oculis habere ipsum Conventus Decretum, in cuius ille verba sine ulla exceptione iuravit; ita enim facile iudicabimus de diversa eiusdem, et ceterorum Episcoporum credendi ratione. Hi quidem immaculate ambulantes in Lege Domini, magnam praetulerunt animi constantiam in servando dogmate, doctrinaque suorum Praedecessorum, inhaerendo primae Petri Cathedrae, in suis exercendis, tuendisque iuribus, in adversando novitatibus, in Nostrum exspectando responsum, unde, quid agendum sibi esset, agnoscerent: una eorum omnium vox fuit, una confessio, sicut una fides est, unaque traditio, et disciplina. His exemplis, ac Episcoporum rationibus, obstupescimus, cum videamus Augustodunensem commotum non fuisse. Simili comparatione ante nos usus erat Episcopus Meldensis Bossuetius apud Vos celeberrimus, et non suspectus auctor (1), inter duos, Thomam Cantuariensem unum, et Thomam Cranmerum alterum, quam hic inserendam ducimus, ut qui haec legent, quam haec nostrae similis sit, animadvertant (2). « S. Thomas de Cantor-

(1) Histoire des Variations des Eglises protestantes, lib. VII, num. 114, tom. III, oper. edit. Paris. 1747.

(2) « S. Thomas Cantuariensis Regibus iniquis restitit; Thomas » Cranmerus ipsis suam conscientiam prostituit, illorumque passio- » nibus adulatus est. Ille actus in exsilium, bonis suis spoliatus, per- » secutionem passus tam in suis, quam in propria persona, et omni- » bus modis afflictus, dicendae veritatis, ut illam credebat, glorio- » sam emit libertatem, vita, eiusque commoditatibus fortiter con- » temptis. Hic, ut suo Principi placeret, omnem vitam suam in turpi

» béri résista aux Rois iniques; Thomas Cranmer leur
» prostitua sa conscience, et flacta leurs passions. L'un,
» banni, privé de ses biens, persécuté dans les siens
» et dans sa propre personne, et affligé en toutes ma-
» nières, acheta la liberté glorieuse de dire la vérité,
» comme il la croyait, par un mépris courageux de
» la vie et de toutes ses commodités; l'autre, pour
» plaire à son Prince, a passé sa vie dans une hon-
» teuse dissimulation, et n'a cessé d'agir en tout con-
» tre sa croyance. L'un combattit jusqu'au sang pour
» les moindres droits de l'Eglise, et en soutenant ses
» prérogatives, tant celles que Jésus-Christ lui avait
» acquises par son Sang, que celles que les Rois pieux
» lui avaient données, il défendit jusqu'aux dehors de
» cette sainte cité. L'autre en livra aux Rois de la
» terre le dépôt le plus intime, la parole, le culte, les

» dissimulatione exegit, et in agendo suae fidei contraire non destitit.
» Unus usque ad sanguinem pugnavit, ut minima Ecclesiae iura as-
» sereret, et dum illius defendit praerogativas, tum eas quas ipsi Ie-
» sus Christus suo sanguine acquisiverat, quam eas, quae ipsi a piis
» Regibus concessae fuerant, ipsa sanctae civitatis exteriora tuitus
» est. Alter terrae Regibus maxime intimum illius depositum tradi-
» dit, praedicationem nempe, cultum, sacramenta, claves, auctorita-
» tem, censuras, ipsamque fidem: denique nihil est, quod sub iugum
» non mittatur, omnique potestate ecclesiastica regali throno semel
» mancipata, Ecclesiae nulla, nisi quantum saeculo placuerit, vis
» permanet. Prior denique semper intrepidus, et quamdiu vixit, sem-
» per pius, maiorem adhuc intrepiditatem ac pietatem morti proxi-
» mus exhibuit. Posterior semper pusillanimis et semper pavidus, sed
» magis adhuc, cum mors instaret, fuit; et sexagesimum secundum
» aetatis annum agens, propter residuam miserae vitae partem,
» fidem suam et conscientiam abiecit. Idcirco eius nomen apud ho-
» mines odio habetur, ipsique eius gregales non habent unde illum
» excusent, nisi adhibitis quibusdam contortis, ingeniosisque ratiun-
» culis, quibus facta opponuntur; sed gloria S.Thomae Cantuariensis
» tam diu quam ipsa Ecclesia permanebit, et virtutes eius, quas Gal-
» lia et Anglia quasi certatim reveritae sunt, numquam e memoria
» excident. »

» sacrements, les clefs, l'autorité, les censures, la foi » même: tout enfin est mis sous le joug; et toute la » puissance ecclésiastique étant réunie au trône royal, » l'Eglise n'a plus de force, qu'autant qu'il plaît au » siècle. L'un, enfin, toujours intrépide, et toujours » pieux pendant sa vie, le fut encore plus à la der» nière heure. L'autre, toujours faible et toujours trem» blant, l'a été plus que jamais dans les approches de » la mort; et à l'âge de soixante-deux ans, il a sa» crifié à un misérable reste de vie, sa foi et sa cons» cience. Aussi n'a-t-il laissé qu'un nom odieux parmi » les hommes, et pour l'excuser dans son parti même, » on n'a que des détours ingénieux, que les faits dé» mentent: mais la gloire de S. Thomas de Cantorbéri » vivra autant que l'Eglise; et ses vertus, que la » France et l'Angleterre ont révérées comme à l'envi, » ne seront jamais oubliées. »

At multo mirabilius est, quod Augustodunensis non percelleretur Declaratione Capituli Ecclesiae Cathedralis suae, die prima Decembris proxime praeteriti (1) emissa; neque erubesceret, quod in eiusdem vituperationem incurrisset, atque ab eo instrui deberet Clero, cui par erat, ut ipse exemplo, doctrinaque praeluceret. Ea Declaratione scilicet Augustodunensis Clerus, verissimis Ecclesiae innixus principiis in hunc modum in Decreti errores invehitur (2): «Le Chapitre d'Autun

(1) Autun de l'Imprimerie de Dejussieu 1790.

(2) "Capitulum Augustodunense declarat 1. se formaliter adhae" rere Expositioni principiorum super Constitutione cleri, quam in " lucem ediderunt DD. Episcopi ad Conventum Nationalem deputati, " die Octobris proxime elapsi tricesima. Declarat 2. non nisi abiecta " conscientia sua, posse directe vel indirecte particeps fieri exsecutio" nis novae Constitutionis Clero propositae, et praesertim in iis, quae " spectant Ecclesiarum Cathedralium suppressionem; ideoque se, sic" ut prius, suas functiones sacras et canoniales obiturum, numero" sisque fundationibus, quibus Ecclesia sua oneratur, satisfacturum,

» déclare, 1. adhérer formellement à l'Exposition des
» principes sur la Constitution du Clergé, donnée
» par MM. les Evêques députés à l'Assemblée Natio-
» nale le 30 Octobre dernier. Déclare 2. que sans man-
» quer au devoir de sa conscience, il ne peut parti-
» ciper directement, ni indirectement à l'exécution du
» plan de la nouvelle Constitution du Clergé, et no-
» tamment en ce qui concerne la suppression des Egli-
» ses Cathédrales; et qu'en conséquence il continuera
» ses fonctions sacrées et canoniales, ainsi que l'acquit-
» tement des nombreuses fondations dont son Eglise
» est chargée, jusqu'à ce qu'il soit réduit à l'impossi-
» bilité absolue de les remplir. Déclare 3. qu'en qua-
» lité de conservateur né des biens et des droits de
» l'Evêché, et en vertu de la juridiction spirituelle
» qui est dévolue aux Eglises Cathédrales, pendant la
» vacance du Siège Episcopal, il ne peut consentir à
» aucune nouvelle circonscription, qui serait faite du
» Diocèse d'Autun, par la seule autorité temporelle.»

Interim, ignorare nolumus Augustodunensem, ac cum eo quisquis alius ipsum interim imitatus fuerit peierando, quod Episcopi, qui Ariminensi interfuerunt Concilio, subscripseruntque ambiguae, captiosaeque illi formulae ab Arianis, quo iidem deciperentur, inventae, intentatisque etiam ab Imperatore Constantio minis perterriti, iudicio Liberii Pontificis admoniti fuere, quod si in errore perseverassent, *Ecclesiae Catholicae spirituali vigore essent plectendi* (1). Studio

„ donec ipsi omnino impossibile sit eas adimplere. 3. Declarat se, ut-
„ pote conservatorem natum bonorum et iurium Episcopatus, et vir-
„ tute iurisdictionis spiritualis, quae, vacante Sede Episcopali, ad
„ Ecclesias Cathedrales devolvitur, non posse consentire ulli novae
„ circumscriptioni dioecesis Augustodunensis, quae a sola auctoritate
„ temporali procederet. „

(1) Epist. Liber. ad Cathol. Episc. in fragment. ex oper. historic. S. Hilar. fragment. 12, pag. 1358, edit. Maurin.

quoque S. Hilarii Pictaviensis ab Ecclesia Arelatensi expulsus fuit Saturninus Episcopus (1), utpote obstinate persistens in sensu Episcoporum Arianorum. Demum sententia Liberii confirmata per S. Damasum fuit Epistola Synodica in Concilio nonaginta Episcoporum data, ut Orientales etiam palam declarare possent, se sui erroris poenitere, si catholici haberi atque esse voluissent. «Credimus autem languentes in »isto conamine, non tarde a nostra separandos esse »communione, et ab eis Episcopatus nomen auferri, »quatenus populi eorum liberati errore respirent» (2).

Negari quidem nullo modo potest Augustodunensem, suosque imitatores in eorum se coniecisse statum, qui, ut diximus, iudicium subierant Liberii, Hilarii, et Damasi, atque ideo, si suum illud sacramentum non revocaverint, sciant quid iam exspectandum sibi sit. Quae hactenus recensuimus, ac pertractavimus, non ex mente nostra, sed ex purioribus sacrae doctrinae fontibus, ut videtis, eruimus. Nunc autem ad vos convertimur, Fratres Nostri carissimi, et desideratissimi, gaudium Nostrum, et corona Nostra, qui, quamvis nullius hortationis stimulis indigeatis, cum Nos ipsi in Vobis gloriemur pro Vestra fide in cunctis aerumnis, et pro egregiis evulgatis instructionibus, rationabilem comprobemus dissensum Vestrum a Decreto istius Conventus; nihilominus, quia in eam temporum calamitosam conditionem devenimus, ut etiam his, qui sibi stare in Domino videntur, omnia diligenter praecavenda sint; ideo pro commisso Nobis, licet sine ullo merito Nostro, curae pastoralis officio, Dilectiones Vestras, summa qua possumus contentione,

(1) Sulpic. Sever. Histor. sacra lib. II, cap. XLV, tom.II, oper. pag. 245, edit. Maurin.

(2) Epist. ad Episc. Illyricos Epist. III, num. 2, apud Coustant. pag. 482 et 486.

hortamur, ad servandam omni animorum fervore inter Vos ipsos concordiam, ut coniunctis studiis, opera et consiliis, uno spiritu ab insidiis et conatibus novorum legislatorum, catholicam Religionem tueri, Deo adiuvante, valeatis. Ut enim ad locum adversariis patefaciendum nihil aptius esse posset, quam animorum Vestrorum inter se dissidentium disiunctio, sic ad intercludendos illis omnes aditus, omnesque evertendas molitiones, nihil concordia, Vestrarumque voluntatum consensione opportunius est, atque efficacius. Hisce ferme verbis S. Pius V, Praedecessor Noster excitavit Capitulum, et Canonicos Ecclesiae Bisuntinae (1), qui in similia tempora inciderant. Forti igitur ac constanti animo estote, nec ullorum periculorum denunciatione, aut minis ab incepto desistite, ac recordamini, ut David impavide respondit giganti, Machabaei intrepide Antiocho; sic Basilius Valenti, Hilarius Constantio, Ivo Carnotensis Philippo Regi. Iam, quod Nostrarum est partium, publicas preces renovavimus; hortati Regem sumus, ne suam vellet interponere sanctionem, duos Archiepiscopos, qui eidem aderant Regi, quid ab eis agendum esset, monuimus; utque exarmare, quantum in Nobis erat, remissioremque reddere Tertii istius, quem appellant Status, furorem possemus, exactiones illas suspendi interim iussimus taxationum, pro Gallicis expeditionibus, ex pristinis Conventionibus, perpetuaque consuetudine Nostris officiis debitarum: ex qua liberalitate nostra illud per ingratissimam compensationem retulimus, ut excitatam atque auctam a nonnullis ex Conventu Avenionensium ab Apostolica Sede rebellionem doleremus, a qua Nos, sanctaque haec Sedes reclamare non cessabit. Praeterea Nos hactenus continuimus, ne abscissos ab Ecclesia catholica auctores male ominatae Constitutionis Civilis Cleri decla-

(1) Epist. VI, lib. III, edit. Antuerp. 1640.

raremus. Demum ea effecimus ac pertulimus omnia, si quo modo lenitate, ac patientia Nostra evitare possemus deplorabile schisma, ac pacem apud Vos, Vestramque Nationem revocare. Quin et adhuc susceptis paternae charitatis consiliis inhaerentes, quae Nos ipsi Vobis esse proposita, in Vestrae expositionis exitu cognovimus, a Vobis petimus, Vosque obsecramus, ut Nobis exponere, ac declarare velitis, quidnam esse iudicetis, quod nunc praestandum a Nobis sit, ad assequendam animorum conciliationem. Quod Nos certe in tanta locorum distantia agnoscere non possumus; Vobis vero, qui in re praesenti estis, occurrere fortasse poterit aliquid a catholico dogmate, disciplinaque universali minime dissentaneum, quod Nobis proponatis in Nostram deliberationem atque examen adducendum (1). Quod reliquum est, Deum precamur, ut tam

(1) Cl. P. Augustinus Theiner in opere *Documents inedits relatifs aux affaires Religieuses de la France 1790 à 1800 edit. Paris 1857 pag. 71* huic decretali Epistolae Pii VI peropportunam subiecit adnotationem, quam referre iuvat. « Hisce pontificiis litteris rescripserunt Episcopi Galliarum; eorumque litterae datae die 3 Maii 1791, tam gallico quam latino sermone conscriptae mox Lutetiae Parisiorum typis editae per universam Galliam delatae ac vulgatae sunt. Haec responsio, digna sane egregio Episcoporum Gallicanorum coetu, sola sufficit ipsa per se ad mendacii redarguendos eos, qui Gallicanos Episcopos pontificiis litteris adhaerere negabant. Hi enim prae se ferentes suum in Apostolicam Sedem obsequium ac studium aperte declarant, Summi Pontificis sententiam esse cum suam tum Ecclesiae universae sententiam; ita ut ignoret iam nemo, novam cleri Gallicani constitutionem adversa fronte pugnare cum fide ipsa et cum disciplina, quam semper se tuituros pollicentur, et in qua vivere ac mori se velle testantur. Nunc manifestum est, aiunt perdocti Pastores, unam esse Summo Pontifici nobisque sententiam, atque ea est unanimis per totum late orbem Ecclesiarum consensio. Et paucis interiectis pergunt dicere: Iam Fidelium animos ancipiti dubitationum fluctu abripi non licebit, nec ignaros officii, aut male conscios ultro in periuria ruere; nec nescire fas erit, hanc novam cleri Gallicani constitutionem, auctoritate Apostolica minime consecrandam, antiquae huius religionis fidei ac praxi, in qua nobis et

vigiles, et sapientes Pastores Nobis, et Ecclesiae suae servet quam diutissime sospites et incolumes, votumque hoc Nostrum Apostolica Benedictione prosequimur, quam universis Vobis, Dilecte Fili Noster, et Venerabiles Fratres, ex intimo corde profectam peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die X Martii MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

PIUS, qui supra.

XXI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO

Francorum Regi christianissimo

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi Nos usque adhuc distulerimus responsum dare postremis Maiestatis Tuae Litteris; existimamus tamen, a Te excusatum iri Nostram hanc moram, si velis, Carissime in Christo Fili Noster, perpendere, quae

nasci datum et vivere, ac mori certum est, nequaquam posse coalescere. Aperiunt illi quidem suos conciliationis sensus; sed in tali ac tanta Constitutionis cum Evangelio contradictione ac pugna, et tot tantorumque malorum undique ingruentium intuitu, palam profitentur, minime videre se, quid spei sit, conciliari posse cum Lege Civili Ecclesiae principia; declarantque luculenter, se iudicium Pontificis summi, uti Capitis, ulterius exspectaturos, egregiis hisce vocibus illum compellantes: Assurgite itaque, Sanctissime Pater, ad illam sapientiae Vestrae liberique ministerii altitudinem. *«Elevez-vous, Très-Saint Père, dans toute la sagesse et la liberté de votre ministère.»*

Nos ad hoc tempus causae retinuerint. Ac primam quidem statim a Te ipso datam Nobis agnosces; cum enim Decreto exsecutoriali circa Constitutionem Cleri tam festinanter Tuam addideris sanctionem, ut Nostrum responsum ad Te idoneo tempore pervenire minime potuerit, nisi illud ipso pene momento, quo cursor extraordinarius ad Nos advenerat, reddidissemus, ac tum cum videremus illud, de quo agebatur, negotium absolutum iam esse; idcirco aliquo Nobis utendum spatio censuimus, immo ad ipsum coactos Nos esse prorsus agnovimus, cum demonstrandum Nobis esset, quantopere dictae Constitutionis articuli Catholicae adversarentur doctrinae, neque ullo modo cum Fidei Nostrae rationibus consentirent. Atque hoc est, cur Nos approbationem Nostram iis articulis neque provisionaliter, neque vel pro minimo temporis momento adiungendam iudicaverimus.

Quod quam verum sit, ut perspicuum facere possemus, in mediis item necessariis, quibus assidue urgemur, occupationibus, opus Nobis fuit aliquod reperire, quo id perficeremus, otium. Dum igitur cunctandum Nobis erat, facile patiebamur, ut sententia Nostra Episcoporum sententias non praeveniremus, ne scilicet plerique ex Nationali Conventu, fatalis nempe Constitutionis auctores, Nobis tribuere possent, quae iam Episcopi ipsi ex adverso opponebant tot suis Epistolis Pastoralibus, monitis atque edictis. Ita enim fiebat, ut hodiernis philosophis dignitati Nostrae adversantibus omnis eriperetur ratio calumniandi, tamquam a Nobis profectos sensus, quos magnus piorum ac doctorum Antistitum numerus sua sponte, suoque iudicio proferebat; atque refractarii isti re ipsa fateri compellerentur, Episcopos non aliis esse, nisi solis veritatis principiis ad declamandum inductos.

Ut igitur pateret, bonam Episcopos propugnare

causam, debuimus Constitutionem, de qua agitur, diligentissima consideratione expendere, ex qua omnino consecuti sumus, ut perspicuum arbitremur esse, quod haeretici nota evitari ab illo non possit, quicumque civico se obstringit iureiurando, cum ea promittat sibi servanda, in quibus haeresum congeries continetur. Quod certe Maiestas Tua perspicue agnoscet ex Nostro ad Episcopos responso, cuius exemplum cum hisce ad Te Nostris coniungimus. Ipsa Maiestas Tua pollicita Nobis est, se in Religione Nostra victuram esse, ac morituram; eaque promissio summa Nobis erat consolationis causa. Nunc vero haec ipsa Tibi causa erit continua intimi acerbissimique doloris, cum intelliges, quod per Tuam sanctionem ab Ecclesiae unitate illos omnes separaveris, qui iusiurandum ediderint a Conventu praescriptum, seu qui secuti fuerint pravas in Constitutione circa Clerum decretas sententias, atque hunc in modum recusaveris eam illustrem prae ceteris gloriosamque laudem, in qua esses ob defensam in Tuis Ditionibus Religionem, ac proinde degeneraveris a Maioribus Tuis, qui illam intrepide semper ac studiosissime conservarunt.

Atque hic non possumus Tibi non ante oculos ponere S. Aviti Viennensis Episcopi sensus, etsi gravem animo Tuo molestiam allaturos, qui cum initio VI saeculi praesideret Concilio Eponae coacto, nunc Yennae ad Rhodanum, ac Gundobaldum Burgundiae Regem alloqueretur, libera sane atque Apostolica voce *debuisse ipsum* dixit (cum id Religionis interesset) *non abstinere se ob tumultum populi a publice profitendo universi Creatore,* immo in medio popularis furoris ore ipso aperte proferre, quod se intimo corde credere affirmabat. Hi S. Aviti sensus a S. Gregorio Turonensi in eius *Historia lib. 2. cap. 34.* referuntur.

Huic considerationi illa etiam adiungenda Tibi erat

recordatio promissionis a Te Deo factae die 11. Iunii 1775, qui fuit Tuae Coronationis dies, cum tunc Te defensurum iuraveris, conservaturumque canonica Ecclesiae, et Episcopi cuiusque privilegia: quod profecto sacramentum plene perspicit Maiestas Tua adversari prorsus Decretis Tua sanctione iam roboratis; cum haec ipsa non alio spectent, quam ut omnia Ecclesiae iura evertantur, atque Episcopi a propriis Sedibus deiiciantur, ac expellantur.

Volumus Nos quidem, planeque agnoscimus Leges gubernationis politicae, quae ad potestates civiles pertinent, ab Ecclesiae Legibus prorsus esse distinctas; propterea que cum primis parendum esse affirmamus, tum eodem tempore mandamus, ne alterae, quae in Nostra auctoritate sunt, a laica potestate violentur. Plerique Episcoporum Nos in hac exponenda sententia praevenerunt, cum se comparatos esse declararent ad civicum praestandum sacramentum pro iis servandis omnibus, quae ad saeculi principatum spectant; contraque ad illud ipsum abnuendum in iis, quae ad iura pertinent potestatis spiritualis. Interea vehementer interest, ut Maiestas Tua serio intenteque inspiciat, qualis nunc sit istarum rerum facies, et quam deplorandus Regni Tui status, in quo basis ipsa Religionis subvertitur a Nostro Redemptore fundata; iamque illuc audacia furorque prorumpit, ut credatur, permissum esse homini se in Dei substituere locum, novam creando doctrinam, novam Hierarchiam, Disciplinam, ac per effrenatam sui arbitrii violentiam supprimendo illam Religionem, quae ad hoc usque tempus existimabatur, et erat dominatrix. Propterea palam praedicatur atque extollitur integra ac plena hominis libertas, dum ne vel ipsis quidem Galliae civibus conscientiae libertas relinquitur.

Haec est praesens istarum rerum conditio, quam bo-

nus quisque Catholicus, ac sani omnes politici apud Vos inductam agnoscunt, ac fatentur. Necesse est igitur, ut Maiestas Tua haec intra se ad veram suae conscientiae normam exigat, atque consideret, et ex bonorum ac sapientum Antistitum consilio prospiciat saluti suae, omnique conatu efficere contendat, ut patrocinium Episcopis deesse non possit, utque omne Sacerdotale Corpus non prohibeatur in suorum Patrum Religione consistere. Ex Nostra ad Episcopos Epistola facile cognosces ipse, Nos in ista tam horribili tempestate, cum vim potestatis Nostrae contra manifestos Novatorum errores exercere possimus, praeferre tamen leniores agendi vias, semperque, donec per Ministerium Nostrum licebit Nobis, praelaturos esse, eo quidem consilio, ut seductos aberrantesque animos ad Ecclesiae ovile facilius revocemus. Idcirco exquirimus ab Episcopis, ut ipsi expresse distincteque aliquam proponant, Nostroque subiiciant examini rationem (si quam tamen reperire poterunt), qua uti hoc tempore possimus, atque indicent quomodo suarum Dioecesium necessitatibus sit a Nobis opportune subveniendum.

Praecipue censuimus in ea Epistola facienda de Episcopo Augustodunensi verba, qui primus gravissimum intulit universo orbi catholico scandalum in proferendo civico sacramento; ac sub eius nomine generatim comprehendimus Episcopos ceteros, qui ipsum imitari voluerint, inter quos fuit Cardinalis *de Lomenie,* ut Nos ipse certiores fecit per suas erroneas Litteras, quas propriis politices sensibus misere refersit. Statim Nos ipsi responsum dedimus (1), cuius exemplum hisce ad Te Nostris coniungimus. Dum eo pacto, quo Episcopus Augustodunensis, Cardinalis iste se gesserit, aliique duo Episcopi, quos deinceps intelleximus eo-

(1) Iam relatum pag. 55.

rum secutos exemplum, minime mirum Maiestati Tuae videri debebit, si Nos officio Nostro coacti, quando ipsi factum hoc suum publice non retractaverint, illud adversus eosdem egerimus, quod similibus in casibus pro suo munere egerunt Praedecessores Nostri.

Non debebit igitur Maiestas Tua oblivisci cum discriminis, quod intercedit inter temporale, ac ecclesiasticum regimen, tum moniti S. Aviti, ac iuris iurandi Tui, quod Coronationis tempore edidisti; ut ita numquam contradicas, atque adversere muneri, quod sustines Monarchae Christianissimi, filiique Ecclesiae primogeniti, eumque in modum consequaris, et a Rege Regum praesidia, et ab universa Ecclesia, Sanctaque Apostolica Sede approbationem.

Hi Nostri sunt paterni sensus erga Maiestatem Tuam, omnemque Augustam Familiam, quibus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die X. Martii MDCCXCI. Pontificatus Nostri Anno XVII.

Benedictus Stay.

XXII.

DILECTO FILIO

IOANNI GUEGAN

Rectori de Pontivyi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Haud moramur statim Tuis rescribere Litteris die 12 huius mensis ad Nos datis, Tuaeque illico petitioni Nostrum responsum dare, quod tanto animi stu-

dio exspectare prae Te fers ab hac Apostolica Sede, a qua omnis legitima missio Ecclesiastica dimanat. Petis itaque a Nobis, significari Tibi, quid Te facere oporteat, si cives tui moleste ferentes, nolle Te Venetensi Ecclesiae Episcopum praefici, Te etiam atque etiam urgeant, ut, quem hactenus merito denegasti, Tuum electioni praestes assensum.

Responsio sane in promptu est. Quae enim canonicae causae tanta cum laude animum tuum induxerunt, ut honorem ultro oblatum sponte recusares, eae satis superque sunt, ut Tibi persuadeant recedere Te a proposito non debere, nec aliorum studio, nec iteratis constitutionibus, nec ipsis, quae Tibi inferri fortasse possent, vexationibus. Ubi enim hae quoque superaccederent, tanto maiori Te gloria cumularent: nam catholico homini, et ecclesiastico praesertim Parocho nihil esse debet praeclarius, quam ut propter Dei causam adversas res toleret et sustineat.

Te sane perspicue declaras numquam eo adductum iri, ut viventis adhuc Episcopi locum, Sedemque audeas occupare, quem tu merito veneraris obsequio, quemque suo se munere minime abdicasse plane cognoscis, ac fateris: quidquid adversus canones, et contra ius omne irrita, et schismatica Nationalis Conventus Decreta praecipiant. Et re quidem vera nihil maiore canones horrore detestantur, nihil severioribus poenis vetatur, quam ut Ecclesiae, quae suo gaudeat Pastore, novus Pastor praeficiatur, et ut quis huiusmet Ecclesiae titulo consecretur, ipsamque occupet: haec enim non nisi sacrilege fieri certum est, et a schismate seiungi non possunt.

Hinc apostolici muneris Nostri partes esse arbitramur non te hortari modo, sed etiam serio monere, ut in proposito perstes, utque a nullo episcoporum tibi manus imponi sinas; id enim sine horribili sacri

legii crimine nec peti, nec praestari potest a quoquam metropolitano, aut episcopo, nisi suo pastore rite careat Ecclesia, nisi electio canonica, quae tibi omnino deest, antecedat, et nisi Nostrum mandatum apostolicum adsit, ex quo canonica missio proficiscitur; ita ut, ubi aliter ordinatio fiat, praeter sacrilegium, quo qui ordinatur inficitur, omnis ab eo absit potestas et iurisdictio, et quicumque ab eo perficiuntur actus, irriti sint nulliusque valoris.

Hic porro defectus, qui ex ipsa rei natura se prodit, adimi profecto non posset, aut minui, si quis Ecclesiam regendam, atque administrandam acciperet ea mente ac voluntate, ut eandem legitimo pastori redderet statim ac praesens decretorum auferretur obstaculum. Nil enim valet voluntas, quae ipso invasionis actu destruitur, nec ullo modo leges a laica illegitima potestate profectae possunt Ecclesiae legibus anteferri, ad quam unice pertinet sublimiorum Ecclesiasticorum munerum divisio, ac distributio.

Sua est pastori per vim, et iniuriam a propria sede deiecto integra iurisdictio, suumque ille sibi vindicat ius regendi pascendique Gregis, quoad eius fieri potest. Ex quo fit, ut permittere nequeamus, ordinari quemquam in aliqua Ecclesia, cui suus sit pastor, ne nomine quidem coadiutoris; eo vel magis, quod non solet apostolica sedes huiusmodi coadiutorias concedere, nisi iusta accedente causa, quam canones probent, qualis esse nequit violenta omnium sacrorum iurium subversio, et nisi coadiuti etiam consensus accedat, qui plerumque peti solet, atque exspectari.

Nil ergo tibi aliud est reliqui, nisi ut cuicumque obsistas conatui, utque praeterea omnes ingenii, eloquentiae, industriaeque Tuae nervos contendas in civibus Tuis commonendis, hortandisque, ne umquam

pastorem suum legitimum derelinquant, neque ullum alium suscipiant, qui istuc auderet irruere.

Te denique haec a Nobis postulasse declaras, ut schisma vitares. Verum id tibi persuadeas, ut si a communi bonorum plausu desciscens, quem Tibi hactenus comparasti, electioni tuae contra Nostram voluntatem, et monitionem praebueris assensum, tunc sane schismati nomen dares, quemadmodum non sine immenso animi Nostri dolore ii praestiterunt, qui aut huiusmodi electionibus assentiti sunt, aut huiusmodi electis sacrilegas manus imponere non dubitarunt.

Tuos equidem cum gaudio sensus excepimus a refractariorum sensibus longe alienos, certique sumus fore, ut ab incepto numquam discedas, veluti a Nostro Dilecto Filio *Toumino Des-Vaupons,* vicario generali Dolensis Ecclesiae factum est; qui cum ad Ecclesiam *Vallis Guidonis,* nondum rite in Episcopatum erectam, electum se esse ad Nos significasset, et a Nobis, quid sibi facto opus esset, exquireret, antequam Nostram reciperet responsionem, quam huic consonam transmisimus(1), agitatus ille conscientiae stimulis oblatam respuit electionem. Quo exemplo usus est episcopus Rhedonensis, ut ad eius imitationem excitaret *Le Coz* principalem Ecclesiae Corisopitensis, qui eum certiorem reddiderat, ambiguis usus verbis, de sua electione in episcopum *de l'Ille-et-Vilaine,* ut liquet ab egregia Rhedonensis responsione sub die 7 currentis mensis typis evulgata.

Praeterea quidquid ad electiones consecrationesque episcoporum pertinet, sive Ecclesiae suos habeant pastores, sive iisdem careant, cumulate actum est a Nobis in litteris in forma Brevis scriptis ad Nostros ven. fratres archiepiscopos, et episcopos Galliarum

(1) Iam relatam pag. 50.

datis die 10 huius mensis, et die mox insequenti cursori extraordinario traditis, quae proinde impraesentiarum istic vulgatae esse iam debent. Quapropter facile poteris ex illis etiam tutam agendi rationem, quam omnino inire debes, agnoscere. Interim Nos animi ardorem in religionem, et studium in Nos Tuum in Domino plurimum commendantes, Tibi apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris, die XXX. mensis Martii MDCCXCI. Pontificatus Nostri Anno XVII.

PIUS, qui supra.

XXIII.

EPIST. CARDINALIS A ZELADA

NICOLAO PHILIBERTIO

In Episcopum illegitime electo (1).

Illustrissime Domine.

Quas obsequii et obedientiae significationes erga visibile Caput Ecclesiae prae se ferunt litterae tuae ad ipsum datae die 10 Februarii huius anni, eas, ipsius

(1) Licet Episcopi intrusi, missis ad sedem apostolicam illegitimae electionis suae Nunciatoriis Epistolis ad normam Decreti Conventus Nationalis *(relati pag. 74. not. 1.)* nullum responsum ab ipso Summo Pontifice acceperint, nihilominus tamen ipsius iussu admoniti sunt, ut ad saniorem mentem redirent. Iniucundum autem non fore censui, si hic exhiberem Epistolam, quae iubente Summo Pontifice ab Emin. Card. *de Zelada* scripta est ad pseudo-electum Episcopum, ut tunc aiebant Districtus Arduennarum (du Département des Ardennes), cuius Sedes illegitime erecta fuerat *Sedani* in urbe Dioecesis Rhemensis. Ex hac enim facile coniici poterit quid ad ceteros huiusmodi intrusos rescriptum fuerit. *(Not. Edit. an. 1800)*.

Pontificis iussu, commonere te debeo nullius momenti esse futuras, nisi id simul agas, ut verbis facta respondeant. Nunc autem quis dubitet, egregias declarationes tuas factis elidi atque everti, simul atque eodem tempore affirmas, nequivisse te populi votis obsistere, teque promptum ac paratum ostendis illius Ecclesiae regimini suscipiendo, quae adhuc rite non est in cathedralem erecta, et iis pascendis ovibus, quae modo gubernantur ac reguntur ab Archiepiscopo Rhemensi, et ab aliis episcopis, e quorum dioecesibus illas decerpi oporteret, si illegitimae erectioni locus esset?

Si verum est, Pontificis summi decreta te habiturum ipsorum Iesu Christi oraculorum loco, scias oportet, ipsum in sua responsione ad archiepiscopos et episcopos Galliarum data docuisse iam et declarasse, huiusmodi electiones, quae amoto clero per populum fiunt, irritas esse et inanes, inspecta cum veteri, tum nova Ecclesiae disciplina, easque proinde acceptari a quoquam non posse, absque eo quod canones violentur, neque earum intuitu peti aut obtineri posse a quocumque sive metropolitano, sive episcopo consecrationem. Istiusmodi enim consecratio sacrilega esset atque schismatica, nec ullam consecrato tribueret iurisdictionem, sive canonicam missionem, quae ex mandato apostolicae Sedis unice proficiscitur. Tu itaque extemplo debes et gradum sistere, et cum in hac, tum in alia omni re decretis adhaerescere apostolicae Sedis, quae veluti Iesu Christi oracula te suscipere affirmas. Hac animi tui declaratione fretus, quam tuae exhibent litterae, sanctissimus Dominus Noster plurimum in Domino confidit, te ad meliorem mentem reversurum, proindeque ipsius Sanctitatis Suae nomine te etiam atque etiam hortor atque obsecro, ut a paternis illius monitis ne latum quidem unguem discedas. Id si prae-

stabis, ut spero, ex ipso errore honoris plurimum capies, et summi Pontificis dilectionem demerebere. Spero equidem fore, ut quam de te in Pontificis animo exspectationem concitasti, hanc sustineas ac tueare. Interim tui sum

Illustrissime Domine

Romae III. cal. Aprilis anno MDCCXCI.

Servitor

Fr. X. Card. de Zelada.

XXIV.

EPIST. CARDINALIS A ZELADA

AD DD. DE MIRAMON, DE GRAND CHAMP, DE CHASSIGNOLLES,

Ceterisque Vicariis dioecesis Augustodunensis.

Illustrissimi Domini.

Dici vix potest quanto animi gaudio ac voluptate, me referente, audierit Sanctissimus Noster, quales Vestri essent obsequii atque ardoris in apostolicam Sedem et in Religionem sensus, quos vestrae litterae die 23 elapsi mensis Februarii datae prae se ferunt. Meritis ille iam laudibus affecerat tum vos, tum integrum Augustodunense Capitulum in sua ad archiepiscopos et episcopos Galliarum responsione, in qua commemoratis ac refutatis principiis civilis constitutionis cleri, non potuit etiam de vestri infelicis episcopi defectione non loqui. Sed modo nova gaudii facta est accessio, cum viderit planeque cognoverit ex responsione ad officiales municipales istius civitatis super iuramento per vos data, et vestris iuncta litteris, quae qualisque sit animorum vestrorum firmitas

atque constantia. Eo vel magis quia litterae vestrae eximium studium prae se ferunt petendi a Sanctitate Sua quid vos facere oporteat, ne Ecclesia ista suo legitimo pastore careat, verentes quam maxime, ne vicariae vestrae facultates perinde haberi debeant, ac si revocatae fuissent, eo quod episcopus vester sese apud regem ab ecclesia sua abdicaverit, et eo quod suae iurisdictionis exercitium arbitrio novi Electi permiserit. Hi enim actus, tametsi suapte natura irriti, utpote quibus deest auctoritas Summi Pontificis, satis tamen esse posse videntur ad tacitam quandam inducendam revocationem earum facultatum, quibus hactenus usi estis, ex sententia theologorum et canonistarum Parisiensium, quos exquisivistis.

Hinc Sanctissimus Dominus Noster mature perpensis iis, quae a vobis postulantur ac proponuntur, me iussit significare vobis merito quidem dubitari posse, quin vestrae vicariae facultates cessaverint. Episcopatus enim renunciatio, quam apud Regem christianissimum factam fuisse dicitis ab episcopo vestro, irrita quidem et vana est apud Ecclesiam, propterea quod caret consensu atque auctoritate Pontificis, qui solus ac legitimus Superior est, sed obest renuncianti. Qui enim renunciat, si suae ecclesiae ius non amittit, donec Pontifex aut renunciationem acceptet, aut propter crimen e suo illum iure excidisse declaret; amittit tamen possessionem suam, ita ut neque ipse per se, neque alii suo nomine possint amplius iurisdictionem semel abdicatam exercere.

Si Pontifex Summus accepisset per manus regis istam episcopi vestri dimissionem, ne ullo quidem temporis momento de illa acceptanda dubitasset, veluti vos faciendum forte esse proponitis. Ipse enim ad reliquos errores, in quos prolapsus misere est, sacrilegum quoque ausum adiunxit, manus imponendi die 24

Februarii Lutetiae Parisiorum pseudo-electis Corisopitensis ac Suessionensis Ecclesiae, quo ex tempore iuris est non ambigui, ipsum in poenam incidisse suspensionis ab exercitio Ordinis. Quamobrem nil accidere potest optatius, quam ut sponte sua ab Ecclesia se abdicet is, qui multis nominibus se dignum praebuit, qui eadem exueretur. Verum cum desit hactenus authenticum dimissionis huiusce, licet satis vulgatae, monumentum, in causa est, cur Summo Pontifici nec super dimissione, nec super privatione iudicium ferre conveniat.

Hic tamen prudens ac mitis agendi modus minime vetat, quin Ecclesiae regimini, uti opus est, consulatur; quae si proprio suo viduata pastore dici nequit, eo tamen redacta est, ut perinde haberi possit, ac si suo pastore careret, et deterioris etiam, si fieri potest, conditionis effecta. Praeterquamquod enim illa gubernio tum episcopi, tum vicariorum destituitur, quod omnibus accidit ecclesiis, ubi suo pastore destituuntur, invasioni atque occupationi pseudo-electi cuiusdam obiicitur, qui quocumque sacrilego modo consecratus, canonica semper missione carebit, quique proinde omni erit communione vitandus.

Posset utique Pontifex Summus vestris rebus consulere, ea qua pollet per canones auctoritate, tum praesertim, cum casus incidunt impropriae vacantiae ecclesiarum. Sed tanti ipse facit egregium istud capitulum, tantoque fertur erga dignissimum Archiepiscopum Lugdunensem studio, quem vos ecclesiae istius vacantis administratorem natum appellatis, ut utrique liberam facultatem relinquat nominandi vicarios eo prorsus modo, quo alias fieri Ecclesia ipsa vacante consuevit, tribuens interim vobis apostolica auctoritate facultatem ac veniam vestro munere defungendi, donec Capitulum et Archiepiscopus, sollicite per vos

de Pontificis mente certiores effecti, eo, quo par est modo necessariam opem non ferant.

Puto equidem fiduciae de me vestrae satis cumulate fecisse. Interim sum

Illustrissimi Domini

Romae die 12 Aprilis MDCCXCI.

Servitor verus
F. X. Card. de Zelada.

XXV.
EPIST. CARDINALIS A ZELADA
TRIBUS PAROCHIS
Dioecesis Bituricensis

Illustrissimi Domini.

Cum quam ad me dedistis epistolam, eam oculis subiecerim Summi Pontificis, dici vix potest quanto cum gaudio vestros ille intellexerit sensus, tum propter eam, quam de illo habetis fiduciam, tum propter animi constantiam vestram, quam tueri pergitis in ipsa multorum deceptione, et in miseranda rerum Gallicanae Ecclesiae conversione. Ex Pontificis responso ad cardinalem *de Lomenie* dato, quod vos latere omnino non arbitror, et ex litteris per eundem Pontificem nuper ad Gallicum clerum conscriptis satis intellexisse vos puto, quale sit apostolicae Sedis iudicium super decretis nationalis Conventus, quae ad civilem cleri constitutionem pertinent, satisque vobis cognitam esse atque exploratam, tum iurisiurandi pravitatem, tum institutionum pseudo-electis datarum indignitatem, tum sacrilegam pseudo-pastorum consecrationem, tum ea demum omnia, quae horum decretorum vi minus rite et contra omnes canonicas regulas hactenus con-

secuta sunt. Sperat quidem Pontifex Summus, ut qui metu ac debilitate antea afficiebantur, nunc voce sua excitati novum ardorem, atque novos animos induerint; sperat ut, qui misere secesserant a viis veritatis errantes, in eas se denuo receperint; sperat demum, ut firmior evaserit spectabilium Gallicanorum episcoporum constantia, qui tantis licet calamitatibus pressi, egregia tamen, non sine etiam vitae discrimine, dederunt virtutis suae specimina ac monumenta, quorum exempla merito ecclesiastici viri bene multi sibi sumpserunt ad imitandum. Gratius mihi sane accidere nihil poterat, quam confidentia in me vestra; adeoque nihil mihi erit antiquius, quam ut vobis testatam semper faciam observantiam et studium in vos meum; vestri enim sum

Illustrissimi Domini

Romae III idus Aprilis MDCCXCI.

Servitor

F. X. Cardinalis de Zelada.

XXVI.

AD SINGULOS GALLIARUM EPISCOPOS (1)

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Mala perturbationesque, quibus Galliarum regnum agitatur, cum magis in dies ingravescant, Nos cogunt pro apostolico munere Nostro, ut Litteris die 10 Martii datis, alias addamus ad dilectos filios capitula, Clerum, populumque regni Galliarum, ut eos

(1) Hae Litterae eodem exemplo datae fuerunt Archiepiscopis Parisiensi, Lugdunensi, Rhemensi, Turonensi, Bituricensi, Burdegalensi, Auxitano, Tholosano, Narbotensi, Arelatensi, Aquensi, Vien-

universos admoneamus schismatis, quod istuc omni conatu invehi, importarique contenditur. Itaque, ut hae novae litterae Nostrae quam citius potest, per manus circumferantur, utque Metropolitani cognoscant, quantum eorum opera confidamus, quantamque cum ipsorum, tum episcoporum, qui in cuiusque provincia sunt, rationem habeamus, plura harum exempla decrevimus ad quemlibet ex ipsis Metropolitanis transmittere, quae per eosdem cum episcopis suae provinciae, nec non et cum capitulis, clero, populoque communicentur, unaque cum eorundem studio vocibus, officiisque in communicando coniungantur. Hoc ipso consilio, ad te, *venerabilis frater, qui Metropolitanus es*, eadem exempla nunc mittimus plurima, cum spe, Tuam pastoralis animi sollicitudinem Nostris hisce votis omnino responsuram. Tibique, ac universo Gregi Tuae curae concredito, apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII. Apr. MDCCXCI. Pont. Nostri An. XVII.

nensi, Bisuntino, Ebrodunensi, Cameracensi, Coadiutori Archiepiscopi Albiensis, et mutatis mutandis Cardinali Rupefucaldio.

Electori Trevirensi. Sed pro *lineatis* legatur « Ven. Frater, qui habes tuae dioecesis partem in ditione Galliae, tuosque ibidem Suffraganeos. »

Episcopis *Iprensi* et *Spirensi*. Sed pro *lineatis* legatur « Ven. Frater, qui partem dioecesis habes in ditione Galliae. »

Cardinali de Rohan mutatis mutandis. Sed pro *lineatis* legatur « Dilecte Fili Noster, qui magnam partem dioecesis habes in ditione Galliae. »

Electori Moguntino. Sed pro *lineatis* legatur « Ven. Frater, eadem exempla nunc mittimus, quibus pro opportunitate uti possis, pariterque ad alios in Alsatia Episcopos, quorum valde interest non pauca transmittimus; plurimaque in spe sumus tuam, atque illorum pastoralis animi. »

(*Theiner* Docum. ined. relat. aux Affair. Relig. de France.- Paris 1857. Tom. I. pag. 91.)

XXVII.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS
ET VEN. ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

Ac dilectis Filiis Capitulis, Clero et populo
Regni Galliarum.

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii Nostri, Ven. Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Charitas quae, docente Paulo apostolo, patiens et benigna est, tamdiu omnia suffert, ac sustinet, quamdiu aliqua spes remanet, ut per mansuetudinem iis, qui obrepere iam coeperint, erroribus occurratur. Verum, si errores augeantur in dies, eoque iam deveniant, ut res ad schisma delabantur, tunc leges ipsae charitatis, cum Apostolici muneris, quo indigni fungimur, officiis coniunctae, postulant flagitantque, ut paterna quidem, sed prompta, et efficax enascenti morbo medicina afferatur, patefacto errantibus culpae horrore, et canonicarum poenarum, in quas inciderunt, gravitate. Ita enim fiet, ut qui a via veritatis recesserunt, resipiscant, et eiuratis erroribus ad Ecclesiam revertantur, quae, veluti benigna mater, apertis ulnis regredientes amplectitur; utque ceteri fideles mature pseudo-pastorum fraudes evadant, qui aliunde quam per ostium ad ovile accedentes, nihil quaerunt aliud, nisi ut furentur, mactent, et perdant.

Haec Nos ante oculos habentes divina praecepta, vix belli rumorem audivimus, quod philosophi novatores in Conventu nationali Galliarum simul coniuncti, maioremque partem constituentes, adversus catholicam

religionem excitabant, acerbe quidem deflevimus apud Deum, communicataque cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, animi nostri anxietate, cum privatas, tum publicas preces indiximus. Hinc datis die 9 Iulii 1790 ad carissimum in Christo filium Nostrum Ludovicum, regem christianissimum, litteris, eum etiam atque etiam hortati fuimus, ut se a *civili constitutione cleri* confirmanda abstineret, quae et nationem in errorem, et in schisma regnum induceret. Nulla enim ratione fieri poterat, ut politicus hominum coetus universalem Ecclesiae disciplinam immutaret, sanctorum Patrum sententias, et conciliorum decreta pessumdaret, hierarchicum ordinem everteret, episcoporum electiones arbitratu suo moderaretur, episcopales sedes destrueret, et, meliori ablata, deteriorem formam in Ecclesiam inveheret.

Utque hortationes Nostrae Christianissimi Regis animo altius insiderent, alias binas dedimus in forma Brevis Litteras, die 10 eiusdem mensis, ad Ven. Fratres Archiepiscopos Burdegalensem ac Viennensem (1), qui eidem aderant Regi, eosque paterne monuimus, ut sua cum Nostris consilia coniungerent, ne, si praedictae Constitutioni auctoritas quoque Regis accederet, schismaticum Regnum ipsum evaderet, schismatici Episcopi, qui ad praescriptam Decretorum formam crearentur, quos Nos ipsi propterea declarare ut Pastores intrusos, omnique carentes ecclesiastica iurisdictione teneremur. Et quo dubitari minime posset, curas et sollicitudines Nostras unice ad res Religionis referri, et quo inimicorum huius Apostolicae Sedis ora occluderentur, praecepimus *suspendi exactiones taxationum* pro Gallicis expeditionibus, ex pristinis Conventionibus, perpetuaque consuetudine Nostris officiis debitarum.

(1) Vid. sup. pag. 24. 26.

Abstinuisset profecto Rex Christianissimus a Constitutione sancienda; sed, urgente atque impellente Conventu Nationali, tandem eo se abripi passus est, ut suam Constitutioni auctoritatem adiungeret, quemadmodum ipsius Litterae die 28 Iulii, die 6 Septembris, et die 16 Decembris ad Nos datae prae se ferunt, quibus Nos etiam atque etiam rogabat primo, ut quinque, deinde, ut septem, saltem per modum provisionis, probaremus articulos, qui parum inter se dissimiles, totam novae Constitutionis veluti epitomen complectebantur.

Illico sane perspeximus, neutros articulos posse a Nobis probari, aut tolerari, utpote qui regulis canonicis adversarentur. Nolentes tamen, ut hinc inimici occasionem populorum decipiendorum arriperent, perinde ac si Nos ab omni ratione conciliationis ineundae essemus alieni, volentesque eadem semper incedere mansuetudinis semita, Regi declaravimus per Nostras Litteras, die 17 Augusti ad ipsum datas (1), articulos huiusmodi nos sedulo perpensuros, et in consilium vocaturos S. R. E. Cardinales, qui simul congregati omnia ad trutinam revocarent. Hi porro cum simul bis convenissent die 24 Septembris, et die 16 Decembris, ut primos, et alteros articulos expenderent, habito rerum omnium diligentissimo examine, unanimi consensione putarunt, sententias Gallicanorum Episcoporum super propositis articulis esse exquirendas, ut canonicam quandam, si fieri posset, rationem ipsi indigitarent, quam hic apte excogitari posse locorum intervalla vetabant, veluti Nos ipsi per alias Nostras Litteras Regi Christianissimo ante significaveramus.

Nostrum interea dolorem, quo vehementer afficiebamur, non levis consolatio lenivit, dum interim ma-

(1) Vid. sup. pag. 81.

ior Episcoporum Gallicanorum pars sua sponte pastoralis sui muneris officiis adacta, et amore veritatis incensa, constanter adversabatur ipsi Constitutioni, eamque oppugnabat in iis omnibus, quae ad Ecclesiae regimen pertinerent. Huic autem consolationi Nostrae novus quoque cumulus accessit, ubi Dilectus Filius Noster S. R. E. Cardinalis Rupefucaldius, Venerabilesque Fratres Archiepiscopus Aquensis, aliique Archiepiscopi, et Episcopi ad numerum usque triginta, ut tot tantisque malis occurrerent, ad Nos confugerunt, die 10 Octobris Litteris datis, *Expositionem* miserunt *super principiis Constitutionis Cleri*, suo cuiusque nomine subscriptam, consiliumque Nostrum et opem postularunt, et tutam agendi normam, in qua conquiescerent, a Nobis exquisierunt, tamquam a communi Magistro, et Parente. Illud quoque magis magisque Nostram consolationem adauxit, quod alii Episcopi bene multi, primis adiuncti, praedictam expositionem amplexi fuerant, ita ut cum ab Episcopis centum triginta et uno istius Regni, quatuor dumtaxat dissiderent, cumque tam ingenti Episcoporum numero Capitulorum etiam multitudo, et Parochorum, sive Pastorum secundi ordinis pars maior accederet, huiusmodi sane *Expositio,* concordi animorum consensione suscepta, totius Gallicanae Ecclesiae doctrina haberetur, et esset.

Equidem Nos ipsi, nulla interiecta mora, tunc operi manus admovimus, omnesque dictae Constitutionis articulos examini subiecimus: sed Gallicanae Nationis Conventus, quamvis concordes illius Ecclesiae voces audiret, nihilominus tantum abfuit, ut ab incepto desisteret, ut ipsa magis irritaretur episcoporum constantia. Videns itaque, planeque cognoscens, ex Metropolitanis, et ex Episcopis antiquioribus inventum iri neminem, qui confirmare se posse crederet novos

Episcopos, per laicos, per haereticos, per infideles, et per Iudaeos in municipalibus Districtibus electos, veluti edita Decreta imperabant; vidensque insuper absurdam hanc regiminis formam nullo loco posse subsistere, cum sine Episcopis omne Ecclesiae simulacrum evanescat, de aliis magis absurdis edendis Decretis cogitavit, quemadmodum factum est die 15 et 27 Novembris, et diebus 3, 4 et 25 Ianuarii 1791. His porro Decretis, quibus subinde regiae etiam auctoritatis robur accessit, cautum est, ut, Metropolitano, sive antiquiore Episcopo consecrare novos electos renuente, quilibet alterius Districtus Episcopus eosdem electos consecraret. Quinimmo, ut una opera, unoque temporis momento, omnes probi Episcopi, omnesque pariter Parochi, catholica Religione incensi, dispellerentur, cautum praeterea est, ut cum primi, tum secundi ordinis Pastores omnes *absque adiectione* (1) iurarent, se Constitutionem, quae iam edita esset, quaeque in posterum ederetur, servaturos; qui autem id constanter detrectarent, ii non secus haberentur, ac si essent e suo gradu deiecti, eorumque Sedes, et Parochiae suo Pastore carerent; legitimis autem Pastoribus et Ministris per vim etiam expulsis, licitum esset municipalibus Districtibus ad electionem novorum Episcoporum et Parochorum procedere; hi vero electi, posthabitis Metropolitanis, et antiquioribus Episcopis, qui iuramentum minime praestitissent, *Directorium* adire deberent, cui curae esset *Episcopum quemcumque* designare, ad illos confirmandos et instituendos.

Istiusmodi Decreta, posterius edita, supra modum novo animum Nostrum dolore perculerunt, Nostrum-

(1) In Editionibus ann. 1790, et 1800 legitur *restrictione:* praeferendus autem visus est textus, quem edidit an. 1857 cl. P. Augustinus Theiner Praefectus Archivi secreti Vaticani, ubi legitur *adiectione*.

que auxerunt laborem, ut ad haec quoque Nostra extenderetur sollicitudo, in ea, quam tunc parabamus, ad Episcopos responsione, Nostrasque curas denuo excitarunt ad publicas preces indicendas, et ad misericordiarum Patrem exorandum. Haec ipsa Decreta in causa fuerunt, cur Galliarum Episcopi, qui egregiis editis lucubrationibus oppugnandam Cleri Constitutionem susceperant, novas in vulgus *Litteras pastorales* ediderint, omnesque industriae suae nervos contenderint adversus ea, quae circa iuramentum, circa depositiones Episcoporum, circa Sedium Episcopalium vacationes, circa novorum Pastorum electiones, confirmationesque constituebantur. Ex quo factum est, ut, tota Ecclesia Gallicana fatente et consentiente, haberi deberent iuramenta civica, tamquam periuria ac sacrilegia, non ecclesiasticis modo, sed catholico quovis homine prorsus indigna, omnesque consequentes actus, tamquam schismatici pro nullis, irritis, gravioribusque censuris obnoxiis.

Hisce Cleri Gallicani declarationibus, digna laude celebrandis, facta responderunt. Episcopi enim fere omnes, et Parochorum pars maxima sacramentum praestare invicta animi constantia detrectarunt; probe tunc agnoverunt Religionis inimici, pessima sua consilia omnia in irritum recasura, nisi alicuius Episcopi, aut ambitione ducti aut imbecillis, animum pervicissent; qui proinde et iuramentum de Constitutione tuenda praestaret, et sacrilegas etiam manus ad consecrationes admoveret, ita ut, ad schisma inferendum, nil amplius deesset. Hos inter, aliorum malitia, et fraude devictos, primus exstitit *Carolus* Episcopus *Augustodunensis,* Constitutionis fautor acerrimus; alter fuit *Ioannes Ioseph* Episcopus *Liddae*, tertius *Ludovicus* Episcopus *Aurelianensis*, quartus *Carolus* Episcopus *Vivariensis,* quintus Cardinalis *de Lomenie*

Archiepiscopus *Senonensis*, ac perpauci secundi ordinis Pastores infelicissimi.

Ad Cardinalem *de Lomenie* quod attinet, is, datis ad Nos die 25 superioris Novembris Litteris, iuramentum ab se praestitum excusare contendens, illud non esse habendum *pro animi assensu* affirmabat, seque valde in ancipiti esse prae se ferebat, num electis manus imponere detrectaret (ut eo usque abstinuerat), necne. Cum vero quam maxime interesset, ut Episcoporum nemo ad electorum consecrationem accederet, utpote quae latiorem ad schisma communiret viam, e re visum est Nostram ad Episcopos responsionem, quae pene absoluta erat, tantisper intermittere, nullaque interposita mora, die 23 Februarii, Cardinali rescribere(1), demonstrando eidem, tum sententiae suae errorem in praestito iureiurando, tum poenas, quae per canones infliguntur, et ad quas, non sine animi Nostri aegritudine, manus admovere cogeremur, eum Cardinalitia etiam dignitate exuentes, nisi publicam offensionem tempestiva, ac digna satisfactione retractaret. Quod vero ad illius dubium pertinebat, de pseudoelectis consecrandis, necne, conceptis verbis ipsi praecepimus, ne eo usque progrederetur, ut novos Episcopos, ob quamvis etiam causam necessitatis, institueret, novosque Ecclesiae refractarios adiungeret; de iure enim agitur, quod unice spectat ad Apostolicam Sedem, iuxta Tridentini Concilii sanctiones, quodque arrogari sibi a nemine potest Episcoporum, aut Metropolitanorum, quin Nos illo, quo fungimur, Apostolici officii munere, declarare cogamur, schismaticos simul esse tam eos, qui confirmant, quam eos, qui confirmantur, nulliusque roboris futuros illos actus omnes ab utrisque proditturos.

(1) Vid. sup. pag. 55.

His peractis, quae supremi pastoralis officii Nostri ratio postulabat, resumendum per nos fuit responsionis opus, quod iam laboriosius ac diuturnius evaserat, propter multiplices, quae se mutuo subinde exceperant, novitates: illudque, Deo adiuvante, absolvere ita valuimus, ut omnibus articulis ad examen revocatis, neminem prorsus lateret, novam Cleri Constitutionem ex Nostro, et Apostolicae huius Sedis iudicio, quod Gallicani Episcopi a Nobis exquisierant, quodque Galliarum Catholici peroptabant, ex principiis coalescere ab haeresi profectis, adeoque in pluribus Decretis haereticam esse, et catholico Dogmati adversantem, in aliis vero sacrilegam, schismaticam, iura Primatus et Ecclesiae evertentem, Disciplinae cum veteri, tum novae contrariam, non alio denique consilio excogitatam atque vulgatam, nisi ad catholicam Religionem prorsus abolendam. Ad hanc enim unam profitendam libertas omnis adimitur, legitimi Pastores submoventur, bona occupantur, dum reliquarum sectarum homines in sua libertate, bonorumque possessione conquiescunt. Quamvis haec omnia luculenter demonstravimus, a mansuetudinis tamen via minime recedentes declaravimus, Nos hactenus continuisse, ne abscissos ab Ecclesia catholica auctores male ominatae Constitutionis Civilis Cleri declararemus, sed una simul illud repetere debuimus, quod, nisi quisque errores, a Nobis iam patefactos, detestetur (quemadmodum haec S. Sedes in huiusmodi casibus peragere semper consuevit), cogeremur inviti eos omnes schismaticos declarare, qui vel essent huiusce Constitutionis auctores, vel eidem iuramento adhaererent, qui in novos Pastores praeficerentur, qui electos consecrarent, et qui ab illis consecrarentur. Illi enim, quicumque essent, legitima missione, et Ecclesiae communione carerent.

Quemadmodum autem, salvo Dogmate, et salva universali Ecclesiae Disciplina, ita animo comparati sumus, ut inclytae Galliarum Nationi, quoadusque licet, obsecundemus, sic Cardinalium, hac de causa advocatorum, consilium secuti, et ea repetentes, quae Christianissimo Regi per Nostras Litteras iam significaveramus, hortati sumus Episcopos, ut ii, quorum oculis res ipsae obversantur, Nobis desuper agendi rationem quandam exhiberent, si inveniri fortasse poterit, a catholico Dogmate, Disciplinaque universali minime dissentaneam, in Nostram deliberationem atque examen adducendam. Hos ipsos animi Nostri sensus significavimus Carissimo in Christo Filio Nostro Regi Christianissimo, ad quem misimus etiam Nostrae ad Episcopos responsionis exemplum, eumque hortati in Domino sumus, ut in consilium adhibitis sapientioribus Episcopis, magis aptam medicinam afferret morbo, qui e regia etiam auctoritate profluxit, et eum denique certiorem effecimus, Nos in illos, qui errori pervicaces haerebunt, ex debito pastorali officio ea praestituros, quae in eadem necessitate positi Decessores Nostri praestiterunt.

Utraeque Litterae Nostrae ad Regem, et ad Episcopos datae, die 10 Martii extraordinario cursori traditae sunt, qui insequenti mox die discessit. Interim, die 15 eiusdem mensis, adveniente huc ex Gallia cursore ordinario, allatum ad Nos undique est, die 24 Februarii, Lutetiae Parisiorum fuisse schismati culmen impositum. Illa enim die *Augustodunensis* Episcopus, iam periurii crimine infectus, et reus defectionis, ob dimissam auctoritate propria, et coram laicis Ecclesiam, Capituloque suo, omni commendationum laude digno, longe absimilis, coniunctus est *Babylonis* et *Liddae* Episcopis; quorum primus a Nobis Pallii decoratus honore, et vitae quoque auctus subsidiis,

dignum se Successorem exhibuit alterius *Babylonis* Episcopi, scilicet *Dominici Varlet,* hominis, propter schisma Ultraiectensis Ecclesiae, satis noti: alter vero periurii item reus, in odium iam et detestationem bonorum inciderat, eo quod a recta episcopi, capitulique *Basileensis* Ecclesiae, cuius ille est suffraganeus, doctrina dissideret. Illa igitur die, episcopus *Augustodunensis,* cooperantibus duobus hisce episcopis, ausus est in Ecclesia presbyterorum Oratorii, irrequisito Ordinario, sacrilegas manus imponere *Aloisio Alexandro Expilly,* et *Claudio Eustachio-Francisco Marolles,* sine ullo Apostolicae Sedis mandato, omisso iuramento obedientiae Pontifici debitae, posthabito examine, et fidei confessione praescripta in Pontificali Romano, in omnibus universi orbis Ecclesiis servando, cunctisque praeterea legibus neglectis, violatis, pessumdatis; licet ignorare non posset, horum primum minus rite electum fuisse episcopum *Corisopitensem,* contra *Corisopitensis* Capituli iteratas, et graves obtestationes, et alterum multo minus rite fuisse episcopum Ecclesiae *Suessionensi* datum, quae legitimum Pastorem suum vivum atque incolumem habet Ven. Fratrem *Henricum-Iosephum-Claudium de Bourdeilles,* qui proinde officii sui partes esse putavit, acriter in actum tantae profanationis invehere, promptaque allata ope suae dioecesi consulere, quemadmodum eiusdem litterae, insequenti mox die 25 in vulgus editae, ipsum fecisse testantur.

Allatum etiam eodem tempore ad Nos est, nominatum *Liddae* episcopum, primum crimen novo crimine cumulasse. Die enim 27 eiusdem mensis Februarii, sibi novis pseudo-episcopis *Expilly* et *Marolles* in socios adiunctis, ausus fuerat in eadem Ecclesia sacrilege consecrare in episcopum *Aquensem*, parochum *Saurine*, quamvis haec etiam Ecclesia optimo

suo Pastore, ven. fratre *Carolo-Augusto Lequien* laeta gaudeat, et perfruatur. Ex quo evenit fortasse, ut idem *Liddae* episcopus *Ioannes-Ioseph Gobel*, ad Ecclesiam *Parisiensem*, vivo adhuc archiepiscopo, electus fuerit exemplo *Ischyrae,* qui, *ad compensationem sceleris, obsequiique praestiti,* in accusando, et a sua Sede exturbando *S. Athanasio*, fuit in conciliabulo Tyri episcopus eiusdem civitatis renunciatus.

Molesti hi quidem, tristesque nuncii incredibili animum Nostrum dolore ac moerore oppresserunt. Sed spe in Deum erecti, cogi iterum iussimus, die 17 mensis Martii, eandem Cardinalium congregationem, quae Nobis, sicut alias, in re tam gravis momenti suam sententiam exprimeret. Dumque in eo versabamur, ut deliberationem exsequeremur cum consilio Cardinalium susceptam, ecce alius istius Regni tabellarius, die 21 dicti mensis, ad nos defert, *Liddae* episcopum, nequiorem etiam effectum, ac pseudo-episcopis *Expilly* et *Saurine* sociatum, die 6 eiusdem mensis, in eadem Ecclesia, eademque sacrilega manu, consecrasse parochum *Massieu,* unum ex deputatis gallicani Conventus, in episcopum *Bellovacensem;* parochum *Lindet,* alterum item ex deputatis, in episcopum *Ebroicensem;* parochum *Laurent,* alterum pariter ex deputatis, in episcopum *Molinensem;* et parochum *Heraudin*, in episcopum *Castri Rufi,* idque praestare ausum fuisse, tametsi duae priores ex his Ecclesiis suos habeant Pastores legitimos, et reliquae duae nondum fuerint Apostolica auctoritate in sedes episcopales erectae. Quale autem iudicium fieri de iis debeat, qui eligi se consecrarique permittunt ad illas Ecclesias, quae a suis adhuc reguntur atque administrantur episcopis, multis ante nos annis, a S. Leone egregie declaratum est: scribens enim *Iuliano* episcopo *Coensi*, adversus *Theodosium* quendam, qui in sedem *Iuvenalis*

episcopi viventis invaserat: *Qualis autem sit* (inquit cap. IV.) *qui in locum episcopi viventis obrepsit, ex ipsa qualitate facti non potest dubitari, nec ambigendum est, eum esse perversum, quem impugnatores fidei dilexerunt.*

Et re quidem vera, quam merito abhorruerit semper Ecclesia ab illis, qui a laicorum turba et colluvione eliguntur, quippe eodem, atque eligentes, falsarum opinionum morbo laborant, satis superque demonstrat delata per eundem tabellarium ad nos pastoralis epistola, quam pseudo-episcopus *Expilly* ad imperitiorum deceptionem, die 25 Februarii, edendam curavit non alio sane consilio, nisi ut inconsutilem Christi vestem abscinderet. Hic enim primo iuramentis, periuriis scilicet, quibus se adstrinxit, commemoratis, omnia complectitur fundamenta Gallicae Constitutionis, quam fere de verbo ad verbum exscribit, et sententiis ipsius Conventus inhaerens ad probandum aggreditur, per constitutionem huiusmodi nihil de dogmate detrahi, sed disciplinae tantum meliorem formam induci, eamque ad priorum saeculorum puritatem converti in ea praesertim parte, in qua populo electiones, amoto clero, et metropolitanis institutiones consecrationesque redduntur, solis hoc loco prioribus Gallici Conventus decretis in medium adductis. Utque melius fortasse fucum imperitioribus faciat, litteras memorat, die 18 Novembris 1790 ad Nos datas, perinde ac si cum apostolica hac Sede communione teneatur: deindeque ad singulos dioecesis ordines sermonem convertens, hortatur, monetque omnes, ut se tamquam legitimum pastorem excipiant, et Constitutionem ultro amplectantur.

Vae misero! Missis per Nos consulto iis, quae ad civile regimen pertinent, qua ille temeritate defendendam suscipit Constitutionem, super ecclesiasticis

rebus versantem, quam omnes fere gallicanae Ecclesiae episcopi, aliique plures ecclesiastici viri improbarunt ac refutarunt, uti dogmati adversantem, et a communi disciplina abhorrentem, praesertim in electionibus, et consecrationibus episcoporum? Hanc sane veritatem, quae incurrit in oculos, ne ipse quidem dissimulare potuisset, aut obtegere, nisi data opera praeteriisset silentio, quae *postremo* in Conventu gallicano absurdiora decreta prodierunt: ista enim, praeter alias improbitates, eo progressa etiam sunt, ut ius instituendi, confirmandique tribuerent cuicumque episcopo, pro Directorii arbitrio, ac voluntate.

Perlegat infelix iste, qui adeo longe in via perditionis processit, Nostram ad episcopos Galliarum responsionem, qua omnium suae epistolae errorum monstra praevia confutatione prostravimus; quam odit veritatem, in singulis articulis manifeste elucentem deprehendet. Sciat interea, se sibi ipsi sententiam dixisse. Si enim verum est, iuxta veterem disciplinam, *ex canone Nicaeno,* quem is in medium adducit, profluentem, opus omnino esse, ut electus ad legitimum titulum nanciscendum, per metropolitanum suum confirmaretur; quod quidem metropolitanorum ius a Sedis apostolicae iure manabat; qui fieri poterit, ut canonice, et legitime immissum se putet *Expilly,* dum consecrationem suam non archiepiscopo Turonensi, cuius suffraganea est Corisopitensis Ecclesia, sed aliis episcopis referre debet acceptam? Hi enim, cum ad alienas provincias pertineant, si sacrilego ausu ordinem potuerunt eidem conferre, nequiverunt profecto iurisdictionem tribuere, qua ipsi quoque iuxta omnium aetatum disciplinam, destituuntur omnino. Haec porro iurisdictionis conferendae potestas, ex nova disciplina a pluribus saeculis iam recepta, a conciliis generalibus, et ab ipsis Concordatis confirmata, ne ad metro-

politanos quidem potest ullo modo attinere, utpote quae illuc reversa, unde discesserat, unice residet penes apostolicam Sedem; ita ut hodie *Romanus Pontifex, ex muneris sui officio, Pastores singulis Ecclesiis praeficiat,* ut verbis utamur concilii Tridentini *Sess. 24. cap. I. de Reform.,* adeoque legitima consecratio nulla fiat in Ecclesia catholica universa, nisi ex apostolicae Sedis mandato.

Tantum vero abest, ut litterae ad Nos datae eum adiuvent, ut magis reum efficiant, et nequeant schismaticam notam effugere. Illae enim, non nisi simulatam quandam imaginem prae se ferentes communionis Nobiscum ineundae, ne verbum quidem faciunt de confirmatione per Nos obtinenda, et illegitimam tantum Nobis electionem significant, ut gallicanorum decretorum verba iubebant. Hinc Nos decessorum Nostrorum exempla secuti, minime illi duximus rescribendum; sed serio illum commonefieri mandavimus, ne ulterius progredi niteretur, quemadmodum sperabamus futurum. Etenim fuit etiam hac de re ab Rhedonensi episcopo sponte monitus, dum is, quam sibi enixe flagitabat, institutionem confirmationemque negavit. Quapropter, loco illum suscipiendi tamquam Pastorem, debet populus cum horrore tamquam invasorem reiicere: invasorem inquimus, qui quam veritatem agnoscere debebat, profiteri neglexit; qui mentito abuti coepit pastoris officio; qui denique eo arrogantiae devenit, ut in fine pastoralis epistolae, quadragesimale ecclesiastici praecepti vinculum laxare non dubitaverit, ita ut *imitator diaboli fuerit, et in veritate non steterit, male utens specie pervasi honoris, et nominis;* quemadmodum de simili invasore a S. Leone Magno dictum est scribente *ad quosdam Aegypti episcopos.*

Videntes itaque Nos, ex multiplici tot criminum

serie, per Galliarum regnum tam bene de religione meritum, et adeo Nobis carum, magis magisque schisma invehi, atque amplificari, videntesque, hanc ipsam ob causam, novos in dies tam primi, quam secundi ordinis Pastores undique eligi, et ministros legitimos de suo loco deiici atque exturbari, eorumque vice rapaces lupos subrogari, non possumus equidem tam lacrimabili rerum aspectu non commoveri. Ut igitur gliscenti schismati primo quoque tempore obicem opponamus; ut ad officia revocentur errantes; ut boni persistant in proposito, utque religio in florentissimo isto regno servetur, Nos consiliis inhaerentes venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et votis obsecundantes totius episcopalis coetus Ecclesiae gallicanae, Nostrorumque praedecessorum exempla imitantes, apostolica, qua utimur, potestate, tenore praesentium imprimis edicimus, ut quotquot sunt S. R. E. Cardinales, archiepiscopi, episcopi, abbates, vicarii, canonici, parochi, presbyteri, cunctique Ecclesiasticae militiae adscripti, sive saeculares, sive regulares, qui *civicum iuramentum* pure et simpliciter, prout a Conventu nationali praescriptum fuit, emiserunt, errorum omnium venenatum fontem, et originem, catholicaeque gallicanae Ecclesiae moeroris praecipuam causam, nisi intra quadraginta dies, ab hac die numerandos, huiusmodi iuramentum retractaverint, a cuiuscumque ordinis exercitio *sint suspensi*, et irregularitati obnoxii, si ordines exercuerint.

Insuper peculiariter declaramus, *electiones* praedictorum *Expilly, Marolles, Saurine, Massieu, Lindet, Laurent, Heraudin* et *Gobel* in episcopos *Corisopitensem, Suessionensem, Aquensem, Bellovacensem, Ebroicensem, Molinensem, Castri Rufi* et *Parisiensem,* illegitimas, sacrilegas, et prorsus nullas fuisse, et esse, prout eas rescindimus, delemus, abrogamus,

una cum assertorum episcopatuum *Molinensis, Castri Rufi,* et aliorum nova erectione.

Declaramus item ac decernimus, nefarias eorundem *consecrationes* fuisse, et esse omnino illicitas, illegitimas, sacrilegas, et factas contra sanctorum Canonum sanctiones; ac proinde eosdem temere, nulloque iure electos, omni ecclesiastica et spirituali iurisdictione pro animarum regimine carere, atque illicite consecratos, ab omni exercitio episcopalis ordinis *esse suspensos.*

Pariter declaramus, *suspensos esse* ab omni exercitio episcopalis ordinis *Carolum episcopum Augustodunensem, Ioannem Baptistam episcopum Babylonis, et Ioannem-Iosephum episcopum Liddae,* sacrilegos consecratores, seu adsistentes; et suspensos pariter esse ab exercitio sacerdotalis, seu cuiuscumque alterius ordinis eos omnes, qui in exsecrandis huiusmodi consecrationibus *opem, operam, consensum* et *consilium* praestiterunt.

Mandamus propterea, districteque interdicimus memorato *Expilly,* aliisque perperam electis, et illicite consecratis, sub eadem *suspensionis poena,* ne audeant episcopalem iurisdictionem, aliamve ullam pro animarum regimine auctoritatem, quam numquam sunt consecuti, sibi arrogare, vel pro suscipiendis ordinibus dimissorias litteras dare; pastores, vicarios, missionarios, deservitores, functionarios, ministros, aut alios quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam. et sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis praetextu, constituere, deputare, ac confirmare, nec non alia agere, decernere, et constituere. sive *seorsim,* sive coniunctim in modum *Conciliabuli,* in rebus ad ecclesiasticam iurisdictionem pertinentibus; declarantes, ac palam edicentes, tam litteras dimissoriales, et deputationes, seu confirmationes, si

quae datae, factaeque sint, aut in posterum dari, fierique contingat, quam alia acta omnia, quae temerario ausu fierent, cum omnibus inde secutis, irrita prorsus esse, ac nullius roboris et momenti.

Aeque mandamus, et sub simili *suspensionis poena* inhibemus, tam consecratis, quam consecratoribus praedictis, ne audeant illicite sacramentum confirmationis, aut ordines conferre, vel quocumque modo ordinem episcopalem, a quo suspensi sunt, exercere, ac proinde, qui ab ipsis fuerint ecclesiasticis ordinibus initiati, noverint suspensionis vinculo se obstrictos, et si susceptos ordines exercuerint, irregularitati etiam fore obnoxios.

Ad praecavenda autem maiora mala, tenore et auctoritate paribus, decernimus, et declaramus, *alias omnes electiones*, ad Galliarum ecclesias cathedrales et parochiales, cum vacuas, tum multo magis plenas, cum veteris, tum fortius novae et illegitimae erectionis, ad formam memoratae Constitutionis cleri, a municipalium districtuum electoribus usque modo peractas, quas volumus pro expressis haberi, et quotquot peragentur, irritas, illegitimas, sacrilegas, et prorsus nullas fuisse, esse, et fore, easque per praesentes, et nunc, pro tunc, rescindimus, delemus, abrogamus; declarantes idcirco, eosdem perperam, nulloque iure electos, aliosque simili modo eligendos ad Ecclesias, tam cathedrales, quam parochiales, omni ecclesiastica, et spirituali iurisdictione pro animarum regimine carere, atque episcopos illicite hactenus consecratos, quos pariter pro nominatis haberi volumus, et in posterum consecrandos, ab omni exercitio episcopalis ordinis, et parochos nulliter institutos, et instituendos, a sacerdotali ministerio esse, et fore suspensos; adeoque districte interdicimus, tam electis, et forsan eligendis in episcopos, ne a quocumque sive metropo-

litano, sive episcopo, ordinem, seu consecrationem episcopalem suscipere audeant, quam ipsis pseudo-episcopis, eorumque sacrilegis consecratoribus, et aliis omnibus archiepiscopis, et episcopis, ne eosdem frustra electos et eligendos, consecrare, quovis sub praetextu et colore, praesumant: praecipientes insuper dictis electis et eligendis, sive in episcopos, sive in parochos, ne ullo modo se pro archiepiscopis, sive episcopis, sive parochis, seu vicariis gerant, aut cuiusvis cathedralis, sive parochialis ecclesiae titulo se nominent, et ne iurisdictionem ullam, proque animarum regimine auctoritatem, facultatemque sibi arrogent, *sub poena suspensionis et nullitatis,* a qua quidem suspensionis poena nemo ex hactenus nominatis poterit umquam liberari, nisi per Nos ipsos, aut per eos, quos apostolica Sedes delegarit.

Qua maiori uti Nobis licuit benignitate, declaravimus hucusque canonicas poenas inflictas, ut mala hactenus perpetrata emendentur, utque in posterum, ne latius dimanent, impediatur. Nos enim in Domino confidimus futurum, ut consecrantes, ut tam cathedralium quam parochialium ecclesiarum invasores, ut auctores fautoresque omnes praedictae Constitutionis suum agnoscant errorem, ac poenitentia ducti ad ovile regrediantur, unde non sine machinatione, et insidiis avulsi sunt. Eos itaque Nos paternis verbis compellantes hortamur etiam atque etiam et obsecramus in Domino, ut a ministerio se abdicent; ut a perditionis via, in quam sese dederunt praecipites, pedem referant; ut numquam committant, per homines philosophia saeculi huius imbutos, ea in vulgus diffundi doctrinarum monstra, quae Christi institutioni, traditionique Patrum, et Ecclesiae regulis adversantur. Quandoquidem, si fiet umquam, ut Noster hic mitis agendi modus, et Nostrae paternae monitiones, quod Deus

avertat, in irritum sint recasurae, sciant Nostrae mentis non esse, illos a gravioribus iis poenis liberare, quibus per canones subiiciuntur: sibique certo persuadeant, se per Nos anathemati subiectum iri, Nosque illos anathemate perculsos Ecclesiae universae denunciaturos, tamquam schismaticos, a communione Ecclesiae, Nostraque segregatos. Maxime enim conveniens est, *ut quisquis in insipientiae suae luto iacere delegerit, statuta permaneant, et cum eis habeat sortem, quorum est secutus errorem;* ita nos edocente Sancto Leone praedecessore Nostro in epistola *ad Iulianum episcopum Coensem.*

Vos nunc alloquimur, Ven. Fratres, qui, paucis exceptis, Vestrorum erga Gregem officiorum munera probe agnovistis, eaque, humanis rationibus sepositis, palam professi estis, ibique curas, ac labores maiores impendi oportere existimastis, ubi maiora pericula ingruebant; Vobisque aptamus elogium, quo laudatus Leo Magnus cumulavit *Episcopos ex Aegypto Catholicos, apud Constantinopolim constitutos: Licet laboribus Dilectionis Vestrae, quos pro observantia Catholicae Fidei suscepistis, toto corde compatiar, et ea, quae Vobis ab haereticis illata sunt, non aliter accipiam, quam si ipse pertulerim; intelligo tamen magis esse gaudii, quam moeroris, quod, confortante Vos Domino Iesu Christo, in Evangelica Apostolicaque doctrina insuperabiles perstitistis. Et cum Vos inimici Fidei Christianae ab Ecclesiarum sede divellerent, maluistis peregrinationis iniuriam pati, quam ulla impietatis ipsorum contagione violari.* Equidem Vos intuentes, non possumus consolatione non affici, Vosque, ut in proposito perstetis, non vehementer hortari. Ad memoriam itaque Vestram revocamus spiritualis illius coniugii nexum, quo Ecclesiis Vestris adstricti estis, quodque, non nisi morte,

aut Apostolica Nostra potest auctoritate, iuxta canonicam formam, dissolvi. Iis ergo adhaerescite, neque illas umquam derelinquite luporum rapacium arbitrio, adversus quorum insidias Vos iam sancto ardore aestuantes et vocem extulistis, et legitimae auctoritatis munia obire non dubitastis.

Ad Vos deinde sermonem convertimus, Dilecti Filii, spectabilium Capitulorum Canonici, qui Vestris Archiepiscopis, et Episcopis, ita ut decet, subiecti, quique, tamquam plura membra cum capite colligata, unum Ecclesiasticum corpus efficitis, quod a civili nequit potestate solvi, aut everti; Vos itidem, qui tanta cum laude estis egregia Vestrorum Praesulum exempla secuti, a recta, in qua inceditis, via numquam deflectite, nec umquam item committite, ut quisquam mentitis exuviis Episcoporum aut Vicariorum indutus, regimen Vestrarum Ecclesiarum arripiat. Illae enim, si suo Pastore viduatae remaneant, ad Vos unice pertinebunt, quidquid contra Vos frustra novae quaedam molitiones effecerint. Una ergo animorum, et consiliorum coniunctione omnem a Vobis invasionem et schisma, quam longissime potestis, arcete.

Vos etiam affamur, Dilecti Filii, Parochi et Pastores secundi ordinis, qui et plurimi numero, et virtute constantes, Vestro munere estis perfuncti, illorum ex Vestris collegis omnino dissimiles, qui aut infirmitate devicti, aut ambitionis aestu correpti, sese manciparunt errori, quique per Nos moniti, mature, ut speramus, ad officia convolabunt. Fortes incepto operi insistite, ac mementote, quam a Vestris legitimis Episcopis institutionem accepistis, non nisi ab iisdem adimi Vobis posse; ita ut, licet per civilem potestatem e gradu Vestro deiecti, et expulsi, semper futuri sitis Pastores legitimi, Vestro munere adstricti, quantum in Vobis erit, ad fures arcendos, qui in Ve-

strum locum subingredi enituntur, non alio consilio, nisi ut animas perdant Vestrae curae concreditas, et de quarum salute eritis rationem reddituri.

Vos item alloquimur, Dilecti Filii, Sacerdotes, aliique Gallicani Cleri Ministri, qui in sortem Domini vocati, debetis Vestris legitimis Pastoribus adhaerere, et esse in fide, ac doctrina constantes; quibus nihil esse debet antiquius, quam ut sacrilegos invasores vitetis, ac reprobetis.

Vos autem in Domino obtestamur, Dilecti Filii Catholici, qui in Regno Galliarum estis universi, Vobisque Religionem, ac fidem Patrum Vestrorum commemorantes, intimo cordis affectu suademus, ne ab illa secedatis; quippe quae una est, ac vera Religio, quae et vitam aeternam largitur, et civiles etiam societates sospitat, atque fortunat. Cavete diligenter, ne aures praebeatis insidiosis vocibus philosophiae saeculi huius, quae mortem parant; et invasores omnes, sive Archiepiscopi, sive Parochi appellentur, ita devitate, ut nihil cum illis sit Vobis commune, praesertim in divinis, auscultantes assidue legitimorum voces Pastorum, qui vivunt adhuc, quique Vobis canonice praeficientur in posterum; uno denique verbo, Nobis adhaerete; nemo enim in Ecclesia Christi potest esse, nisi Capiti ipsius visibili uniatur, et in Cathedra Petri solidetur. Utque omnes vehementius ad sua munera obeunda excitentur, Nos a Patre caelesti Spiritum consilii, veritatis, et constantiae in Vos implorantes, in paternae dilectionis pignus, Vobis, dilecti Filii Nostri, venerabiles Fratres, ac dilecti filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 13 Aprilis MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

PIUS, qui supra.

XXVIII.

VENERABILI FRATRI

IOANNI

Episcopo Aleriensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum populi istius Regni, aliorum insidiis decepti, *civilem* amplexi sint *Gallicani Cleri Constitutionem* a Conventu Nationali profectam, et tum Dogmati, tum veteri novaeque Ecclesiae Disciplinae adversantem, paterna sane Nostra sollicitudo minime patitur, ut Tu, Ven. Frater, Tuaeque Dioecesis Capitula, Parochi, Clerus, ac Populus universus ignorent ea officiorum vincula, quibus in suo quisque Ordine adstrictus tenetur, nisi malint se *schismati* mancipare, easque poenas subire, quae adversus doctrinae, disciplinaeque corruptores per canones infliguntur. Cum itaque istiusmodi singulorum officia fuse et enucleate iam fuerint per Nos explicata, in Nostris Litteris ad *Dilectos Filios Nostros S. R. E. Cardinales, Ven. Fratres Archiepiscopos, ac Episcopos, et ad Dilectos Filios Capitula, Clerum, Populumque Regni Galliarum* conscriptis, opportunum certe duximus nonnulla harum Litterarum exempla Tibi mittere, ut minime Te, tuaeque dioecesis gregem universum lateat, quid quemque facere oporteat in hac Ecclesiasticarum rerum perturbatione, ad sacrilegos scelerum conatus, quae undique perpetrantur, avertendos, et ad horribilem tempestatem, quae in Catholicam Religionem insurrexit, evitandam. De re profecto agitur, quae

Tuum in Religionem studium, atque ardorem Tuum eo magis excitare atque inflammare debet, quo graviora undique Ecclesiae pericula et damna impendent. Ea spe freti, in quam Pastoralis vigilantiae Tuae persuasio Nos inducit, Tibi, Ven. Frater, Gregique Tuae curae concredito, Apostolicam Benedictionem ex animo, ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XIII Aprilis MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

Benedictus Stay.

Eodem exemplo Episcopis

Adiacensi, Sagonensi, Nebiensi,
Marianensi et Aciensi.

XXIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO

Francorum Regi Christianissimo

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum postremis Nostris ad regiam Maiestatem tuam die 10 Martii datis litteris coniunximus aliarum exemplum, quibus ad S. R. E. cardinalem Rupefucaldium, et ad Archiepiscopum Aquensem, aliosque subscriptos expositioni super principiis Constitutionis Cleri, prout huius temporis necessitas a Nobis postulabat, rescribebamus. Nunc, cum alias item istuc transmittere pro apostolico Nostro munere deberemus, earundem typis iam editarum exemplum pariter hisce Nostris inseri-

*

mus, tibi per venerabilem fratrem Archiepiscopum Rhodiensem, Nostrum Nuncium reddendis, teque rogamus, ut tuam regiam auctoritatem cum Nostro hoc debito catholicae religioni studio coniungas. Ita, dum huic erga te officio satisfacimus, valde etiam animo Nostro obsequimur erga Maiestatem tuam renovantes apostolicam benedictionem, quam ex intimo paterno corde deprometam tibi, carissime in Christo Fili Noster, inter assiduas ad Deum pro te, tuoque regno obsecrationes, amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII Aprilis MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

Benedictus Stay.

XXX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO

Francorum Regi Christianissimo

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Utinam, carissime in Christo fili noster, in ea nunc tempora non incidisses, quae, ut scribis, a regia maiestate tua exigunt, ut gestum hactenus a venerabili Fratre Nostro Ioachimo S. R. E. Cardinale de Bernis apud Nos ministerium ad alterius curam operamque transferatur. Cum enim Nobis per humanissimas litteras die 22 martii datas nunciasses illum ab eo obeundo iam esse dimissum, ad ceteras doloris nostri causas, quae istinc pene quotidie ad Nos perferuntur, hanc

etiam accessisse animo nostro maxime gravem ac permolestam non fateri tibi non possumus. In eius siquidem iam longo annorum spatio perspecta conquiescebamus prudentia, integritate, fide, singularique studio ad retinendam, semperque magis adstringendam inter Nos, maiestatemque tuam mutuae amicitiae, fiduciae, necessitudinum omnium, officiorumque coniunctionem. Quas praeclaras eius laudes, cum te ipsum agnoscere testeris, aequo certe animo feres, hoc a Nobis eidem debitum reddi amplissimum testimonium, in quo etiam Nobiscum consentiunt, et universum S. R. E. Cardinalium collegium, et ceteri, qui Romae sunt conspicui ordines, quos mirifice sua humanitate ac virtute devinxerat. Cum igitur cedendum esse tempori iudicaveris, proindeque alium cogites apud Nos Oratorem tuum in illius locum substituere, valde confidimus te pro tua sapientia talem esse suffecturum, qualem nunc praecipue res nostrae, Romanaeque Ecclesiae rationes efflagitant. Propterea a te maiorem in modum petimus, teque obsecramus, ut ex illis unum deligas, qui catholicam religionem intime profiteatur, neque in ea iuraverit debita sine exceptione verba, quae ab isto nationali Conventu exiguntur; secus enim Nobis suspectus, ingratusque esset, neque ullo modo tuo fungendo ministerio apud sanctam hanc Sedem opportunus, proindeque a Nobis non recipiendus. Ita maximum Nobis, nostraque de te exspectatione dignum confirmaveris tuae eximiae voluntatis specimen, ac summo, quo te complectimur, amori, studiis ac votis ad Deum nostris responderis, quibus regiae maiestati tuae incolumitatem, felicitatem, veramque cum religionis Ecclesiaeque rationibus coniunctam gloriam, qua maiore possumus paterni animi contentione precari numquam intermittimus; ac in caelestium benedictionum pignus apostolicam benedictionem tibi, ca-

rissime in Christo fili noster, universaeque regiae familiae tuae amantissime impertimur.

Datum Romae die XIII Aprilis MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

XXXI.

DILECTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DE ROHAN

Episcopo Argentoratensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quae causae Nostrum retardarunt responsum Litteris Carissimi in Christo Filii Nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi, nec non et Dilectorum Filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Ven. Fratrum Archiepiscoporum, et Episcoporum subscriptorum Expositioni super Principiis Constitutionis Cleri, easdem pariter causas per Te ipsum intelliges retinuisse Nos, ne tam cito, quam exspectabas, Tuis Litteris die 18 Decembris ad Nos datis rescriberemus. Summa erat rerum, de quibus agebatur, gravitas; maxima proinde exposcebatur a Nobis in omnibus expendendis decernendisque consultatio, cuncta ad normam Ecclesiasticae Disciplinae, Catholicorumque Dogmatum accuratissime exigenda, publicae etiam ad Deum indicendae persolvendaeque preces. Quae nunc omnia, Deo ipso iuvante, cum peracta sint, cumque Nostra illa responsa iam in Galliam pervenerint, ex quibus etsi ipse etiam cognosces, qui Nostri, Sanctae-

que huius Sedis de vestrarum rerum rationibus sensus sint, tamen Tecum etiam peculiares huius officii Nostri partes explere suscipimus, quaeque Nostra sit de Tua Episcopali virtute,, animique fortitudine et constantia existimatio, non sine plurima paterni animi iucunditate expromere. Atque hic illud peropportune accidit, ut ex hac ipsa responsionum Nostrarum cunctatione multo maius ac certius habeamus vestrorum meritorum argumentum, quod tam eximia consilia, ac facta vestra non ex ullis, quae praemiserimus, Nostrae hortationis incitamentis, sed vestra sponte, atque certa praeclare voluntatis inductione provenerint. Tanto igitur magis vobis omnibus, qui in hac temporum perversitate tale tantumque praetulistis Religionis specimen, in Domino gratulamur, tantoque effusiora in vos cumulamus Pontificiae vocis praeconia, quanto perspectiora uberioraque constant vestrorum animorum in tanta ingruentium malorum acerbitate testimonia. Vestra igitur virtute, vestris hisce laudibus magna ex parte solamur dolorem Nostrum, quo ex istarum Ecclesiarum, Episcopatuum, sacrarumque rerum omnium direptione, eversione, perturbatione, immense sane ac summo percellimur, tantoque vos numero tantis obniti reluctarique tempestatibus dum videmus, antiquorum recordamur Ecclesiae temporum, in quibus quanto acriora insectantium insurgebant odia, tanto maior ad resistendum, ac ad vitam etiam profundendam, praesertim in sacris Praesulibus, ardor emicabat. Quod de Gallicanis pene omnibus Episcopis dicimus, hoc de Te singulariter, Dilecte Fili Noster, praedicamus. Mirifice enim Tua illecti virtute sumus, ac in Nostro de Te iudicio confirmati per eximias litteras, quas ad Nos dedisti, et per transmissa folia cum Declarationis, tum Instructionis Pastoralis, nec non et per Epistolam ad Clerum Populumque Tuae

Dioecesis, et demum per Edictum, seu Mandatum pro Quadragesima: quae omnia Tua scripta hisce temporibus aptissima mirificum exhibent studium Tuum erga universum Tibi commissum Gregem, eundem a pestiferis deducens perversarum legum, seu fraudum novitatibus. Nihil potest esse iis scriptis sapientius, nihil ad veram insinuandam pietatem flagrantius, ad Evangelicam doctrinam declarandam accommodatius, nihil non cum visibili Ecclesiae Capite, cum Apostolica hac Sede, veritatis scilicet unitatisque Centro, magis consentiens. Quae omnia Nos, non tam ad novos adiungendos Tuae virtuti stimulos, quam ad Tui nominis commendationem etiam atque etiam inducunt. Divinam idcirco agnoscimus misericordiam, ipsique quantas possumus persolvimus gratias in hac maxima communique Nostrum omnium tribulatione, ad eamque magis impetrandam numquam Nostras intermisimus preces, ut in his tantis angustiis ac laboribus talem Nobis, Vobisque omnibus mentem, consilia, viresque tribuat, quibus Nostro instantes muneri eiusdem gloriam, Ecclesiaeque suae causam, in hac ipsa temporum adversitate, per inscrutabiles suorum iudiciorum vias, magis magisque sustineamus, ac tueamur. Ac ad certiora caelestium munerum auspicia Apostolicam interponimus Benedictionem, quam Tibi, Dilecte Fili Noster, in paternae etiam singularis benevolentiae existimationisque pignus, Gregique Tuo, ut numquam ullius intrusi Pastoris, sed veri legitimique vocem agnoscat, ac sequatur, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XVI Aprilis MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

Benedictus Stay.

XXXII.

DILECTIS FILIIS INCOLIS CATHOLICIS CIVITATIS ARGENTORATENSIS

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Minime ignoramus, Dilecti Filii, qualis in Gallia, quam perturbatus miserandusque status sit, debitasque pro eo non solum curas suscipimus, sed uberes etiam lacrimas prae dolore cum plurimis ad Deum precibus profundere non intermittimus. Id malum ad Argentoratensem itidem Dioecesim extensum iam esse, deturbatumque e sua Sede Episcopum vestrum Ludovicum S. R. E. Cardinalem de Rohan, aliumque in eiusdem locum, per illegitimam, immo iniquam electionem, intrusum intelleximus. Igitur tam perniciosis permoti novitatibus, quod hactenus faciendum duximus, iam qui Nostri, et Sanctae huius Sedis sensus sint, perspicue declaravimus et per Epistolam ad Dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem de Lomenie de Brienne die 23 Februarii, et per aliam multo proliziorem ad Galliae Episcopos die 10 Martii datam, earumque exempla per Galliam diffusa iam, vel cito diffundenda ad vos ipsos perlata esse, vel brevi perferenda minime dubitamus. At nunc et ad ipsum scribimus Episcopum vestrum, eiusque animum, consilium, constantiam, ac Pastoralia ad hanc rem scripta, factaque omnia probamus, meritisque prosequimur laudibus, verumque agnoscimus Pastorem vestrum, cui unice adhaerere vos omnes, cuiusque vocem audire; alterius vero, quicumque per illegitimam electionem, per vim, ac fraudem vobis obtruditur, omnino reii-

cere debetis atque aversari. Haec est Nostra, qui in beati Petri cathedra, Deo volente, praesidemus, sententia; quam ut a Nobis exquirere catholico plane animo voluistis (1), ita cupide amplexuros, ac secuturos

(1) Litterae quas Argentoratenses Summo Pontifici miserunt *(uti prostant in Edit. Hulot an. 1790).*

BEATISSIME PATER.

Quis Ecclesiae Catholicae in Gallia exsistentis hodie status sit, quod a Conventu Nationis Gallicanae die vicesima septima mensis Novembris anni elapsi Decretum editum fuerit, quo Episcopi aliaeque personae Ecclesiasticae in munere publico constitutae super varia puncta ordinem hierarchicum concernentia iuramentum praestare iubentur, intentata renuentibus poena inhabilitatis officia posthac sua exercendi, Sanctitatem Tuam minime latet. Recusarunt iam iam huius iuramenti praestationem Episcopi Gallicani fere omnes, ac praecipue Eminentissimus Praesul Noster Ecclesiae Argentinensis, recusarunt illam Clerici plurimi; alii praestiterunt iniunctum iuramentum; alii in medio quasi quid agendum sit, fluctuant. In hoc rerum situ quantus est Noster, omniumque vere Catholicorum dolor! Fatale instat momentum, quo Pastores Nostri, quos filiali affectu colimus, aut legi, si sine periculo animae iuramentum istud praestare possent, refractarii, aut, si illud praestare nolint, cum non possint, Nobis erepti erunt. Nos vero eiectis Pastoribus Oves sine verbi divini pabulo, sine sacramentorum administratione derelictae erimus. Commovent haec certe paternum Tuum animum, Beatissime Pater, humillimosque Filios Tuos Sanctae Catholicae Romano-Apostolicae Religioni ex toto corde addictos in tanta perplexitate, in tanto dolore non relinques. Tu, Divina favente clementia, illam Cathedram Petri occupas, ad quam omnes Ecclesias particulares oportet in dubiis recurrere, illam Cathedram Petri, quae Centrum est unitatis, et Magistra doctrinae, cui Divini Spiritus assistentiam Salvator Christus promisit. Dignare igitur sanare aegrotos, confirmare debiles, confortare fluctuantes, erudire dubitantes. Decide, Beatissime Pater, an quod a Pastoribus Nostris exigitur, iuramentum, praestari ab illis salva conscientia possit. Exeat a Sancta Sede Tua sonus in orbem terrarum, et Nos cum veris Catholicis omnibus in voce Tua, cui Ecclesia tota adhaerebit, vocem Iesu Christi, invisibilis Nostri Capitis, agnoscemus et venerabimur. Audient Pastores inferiores, audient Oves omnes, et sequentur vocem sui Pastoris supremi, Successoris

esse non ambigimus, utpote ab eo prolatam, qui a Christo Domino universi gregis Pastor constitutus est, eiusque doctrinae Magister, et ecclesiasticae Centrum unitatis. Eiusdem caelestem vobis gratiam, ac opportuna omnia hisce miserrimis temporibus imploramus praesidia, atque in horum auspicium apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, paterno plane animo peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XVI Aprilis MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

Benedictus Stay.

XXXIII.

EPIST. CARDINALIS A ZELADA

Archiepiscopo et Electori Moguntino.

Eminentissime, et Reverendissime Domine Observandissime.

Ut accepi Litteras Eminentiae Tuae die 22 Martii, easque perlegi, nec non et iisdem inserta obnunciationis, et protestationis folia, statim communicandos tunc praeclaros sensus Tuos cum Sanctissimo Domino Nostro duxi, qui mirum in modum commendavit Episcopalem Tuum animum, ac moerorem suum nonnihil ex

illius, cui Dominus non agnos tantum, sed et oves, matres agnorum, pascendas commisit, quem Pastorem Pastorum constituit. Ad pedes Sanctitatis Tuae provoluti hanc a Te gratiam, et Apostolicam Benedictionem humillime exposcimus.

Argentorati in Alsatia die XVII Ianuarii A.S. MDCCXCI.

Sanctitatis Tuae

Devotissimi et humillimi Servi ac obedientissimi Filii

Incolae Catholici Civitatis Argentoratensis.

Wilhelm Secretarius.

ipsa Tui doloris societate levavit. Supervacaneum quidem est, ut hic Eminentiae Tuae declarem, quanta ille sollicitudine pene obruatur ob tantopere perturbatas ac prolapsas Ecclesiae gallicanae res, ut nihil adeo sacrum ac vetustate ipsa, atque auctoritate venerabile sit, quod non illic per summam licentiam ac libidinem turbetur, pessumdetur, ac proteratur. Ipse enim iam in Tuis fateris litteris, Te praevidere quantas idem Beatissimus Pater pro hoc tempore curas agitet, quaeque iam non dubia, sed constantissima consilia susceperit. Quod iam praevidebas, nunc perspicue agnosces ex nonnullis Pontificis gravissimis Epistolis in Galliam missis, quarum exempla iam illic vulgata, vel quamprimum vulganda minime dubito, quin ad Te pervenerint, vel cito sint perventura. Aperte in ipsis epistolis suis, qui Pontificii sint, Sanctaeque huius Sedis, ac universae Catholicae Ecclesiae sensus expromit; improbat invectas in sacrum regimen novitates; abiicit ac damnat episcopalium Sedium ac dioecesium mutationes, seu potius eversiones, verorum expulsiones episcoporum, novorum intrusiones, declarat iniustas rerum ad Ecclesiam pertinentium exspoliationes, irritas electiones, illegitimos electos; contraque cetera huiusmodi de religione decreta reclamat, atque insurgit. Non hic tamen sistit eiusmodi sollicitudo, sed ad ulteriora progreditur, quae ab apostolico sibi munere imponuntur. Iamque impressae typis transmittuntur in Galliam Sanctitatis Suae Litterae, in quibus ad nonnullas proceditur canonicas poenas, per quas fideles omnes, ac praesertim ecclesiastici vel retineantur, ne in prava consilia proruant, vel qui prolapsi iam sunt, ad officium revocentur; quarum litterarum plura exempla ad Eminentiam Tuam, etiam cum Pontificia peculiari epistola sunt nuper transmissa. Utinam satis haec esse possint, ut tantopere perturbatae in Gal-

lia Ecclesiasticae res ad sua iura, legitimumque statum restituantur. Sin secus, quod Deus avertat, evenerit, etsi invitus, Sanctissimus Pater tamen ad severiora contra contumaces remedia, atque extrema etiam deveniet, qualia pro extremis malis adhiberi in Ecclesia semper consueverunt. Interea bonos episcopos coniungere secum studia pro religione sua valde laetatur; Teque potissimum et pro Metropolitico tuo iure, et pro universa catholica re laborantem maxime collaudat, ac ad ceteros tuo exemplo excitandos praesules in hac communi omnium causa vehementer hortatur. Haec Tibi significans, certumque Te reddens de singulari Sanctissimi Domini Nostri et Apostolicae Sedis ad collapsas res in pristinum statum restituendas conatu, interim manus affectuose deosculor.

Eminentiae Tuae

Romae die 16 Aprilis 1791.

Addictissimus Servitor

F. X. Cardinalis *de Zelada.*

XXXIV.

EPIST. CARDINALIS A ZELADA

IOSEPHO CHRISTIANO

Episcopo Lerensi, in partibus Infidelium, et Coadiutori Episcopi Vratislaviensis, nec non Canonico Cathedralis Argentoratensis.

Quae mihi Illustrissima et Reverendissima Dominatio Tua, in suis die 20 Martii datis litteris exposuit ex nationalis Gallici Conventus decretis peracta esse Argentorati contra iura apostolicae Sedis, Eminentissimi episcopi ac insignis Capituli vestri, praesertim in nova ibidem illegitimaque episcopali electione, plane confirmarunt praeclaros sensus tuos, tuorum-

que collegarum, quorum etiam egregiam declarationem typis editam ipsis insertam litteris ad me transmittere voluisti. Agnoscit quidem Beatissimus Pater, valdeque commendat plenos religionis, ac in Ecclesiam studii et constantiae animos vestros; sed ob haec ipsa vestra merita tanto maiori dolore percellitur, cum videat grassantem inter Gallos novitatum pestem in Alsatiam etiam ad Vos progressam esse, sacra omnia perturbare atque evertere contendentem. Verum ut magis perspicuum Tibi esse possit, quid idem SS. D. N. ex Apostolico suo munere contra tantos, talesque adversantium ausus sibi agendum censuerit, hisce meis copiungo exemplum eiusdem litterarum, die 13 huius mensis editarum ad Cardinales, archiepiscopos et episcopos, ad capitula, ad clerum, Populumque Regni Galliarum, quo ipso exemplo tuae illi solemni ad me transmissae declarationi ac protestationi opportune respondere potuisse gaudeo; ac cum distincta observantia ex corde deosculor manus.

Illustrissimae Dominationis Tuae

Romae die 23 Aprilis 1791.

Servitor verus

F. X. Cardinalis *de Zelada.*

XXXV.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

ARCHIEPISCOPO AVENIONENSI ET EPISCOPIS CARPENTORACT., CABALLICEN. ET VASIONENSI

Ac Dilectis Filiis Capitulis, Clero, et Populo Civitatis Avenionensis, et Venaisini Comitatus Nostrae Ditionis.

PIUS PAPA VI.

Ven. Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Adeo nota, ac pervulgata sunt apud Nationes omnes ea, quae patrata fuerunt, facinora in Nostra cum Avenionensi, tum Comitatus Venaisini ditione adversus Sanctuarii leges, et contra iura Principatus, ut longa atque enucleata commemoratione non egeant. Graviter sane per utrumque populum in Nos peccatum est; sed populi Avenionensis defectio longe est Comitatus populi defectione deterior. *Avenionenses* enim nihil aestimantes, se paucorum hominum improbitatem secutos, qui propter Nostram clementiam suorum criminum poenas effugerant, quasi *defectionis vexillum* sua manu extulisse, eo audaciae progressi sunt, ut Comitatenses, per vim etiam armatam, secum nefariam societatem inire, suasque sequi partes omnino coegerint; et in eos, sive Comitatenses, sive Avenionenses, qui sibi obstiterint, omni minarum, caedium, ac suppliciorum genere animadverterint.

Cuius quidem facinoris, ut cetera taceamus, locupletissimo esse possunt argumento spectabiles Cives, Ecclesiasticique viri ad mortem rapti, Caballicensis urbs per vim occupata atque direpta, hostiles in Car-

pentoractensem civitatem impetus facti, atque alia effrenatae violentiae genera, quae scelestos auctores aeterna ignominiae, infamiaeque labe inquinabunt. Hi enim crudelitatem imitantes *Iasonis*, inimici *legum patriarum et Dei*, veluti *sacrae* de eo *Paginae* testantur (1), ut cives, et Comitatenses transferrent a patriis et Dei Legibus, non pepercerunt *in caede civibus suis*, nec cogitarunt *prosperitatem adversus cognatos malum esse maximum*, arbitrantes *hostium, et non civium se trophaea capturos* (2): digni propterea, qui, non secus atque de *Iasone* factum est, declarentur omnibus *odiosi* et *exsecrabiles*, Legum et patriae proditores (3).

In vulgus spargi coeptum est, huiusce *rebellionis* causam ex onerum, quibus Populus premeretur, magnitudine proficisci. Sed cum cuique pateret, commentitiam omnino esse causam huiusmodi, et calumniae plenam, eo quod Avenionensis, et Comitatensis Populus, nullo vectigalium genere pressus, adeo leni, ac temperato regimine utebatur, ut illius felicitati non sine causa reliquae Nationes inviderent, facile tunc perspectum fuit, unicam et veram causam esse effrenae *libertatis* studium: ad hanc vero assequendam dictitatum est, opus omnino esse universam Gallicani Conventus Constitutionem tam in politicis, quam in ecclesiasticis religiosisque rebus amplecti, et ad maiorem diuturnioremque felicitatem constabiliendam oportere, ut populi Avenionenses, et Comitatenses ad Gallicam Ditionem transirent.

Has inter nefarias improbitates, non destitimus equidem utrique Populo palam facere, qualis et quanta esset Nostra in ingratos etiam Parentis ac Principis

(1) Machab. lib. II, cap. V.
(2) Ibid. vers. 6, et 18.
(3) Ibid. vers. 8, et 14.

benevolentia. Nostrae enim curae fuit, non sine plurimo Pontificii aerarii dispendio, illum ab impendentis caritatis discrimine liberare; eumque paterne monere, ut ab occultis caveret insidiis, quae sibi, Religioni, et publicae etiam utilitati sub imagine *libertatis* parabantur. Si autem ab ipsa temporum varietate, ac humana etiam pravitate aliquod in leges irrepsisset vitium, aut in earum partem inductus fuisset abusus, aperte eidem significavimus, Nos, auditis Communitatibus, promptam opem auxiliumque allaturos, ut omnia ad rectum ordinem per debitam emendationem revocarentur. Utque dubitaret nemo, quin, quantocius liceret, Nostra occurreremus auctoritate, deliberavimus illico istuc mittere Dilectum Filium *Ioannem Celestini*, virum multis Avenione bene cognitum, et Comitatus Venaisini negotiorum gestorem, ut, quam citius fieri posset, Avenionem, et Carpentoractum properaret, ibique cum Nostro Pro-Legato, unaque cum peritioribus, ac prudentioribus civibus ageret de iis capitibus, seu articulis, quos praecipue optari, atque expeti agnosceret, quo communibus votis obsecundare possemus in statuendis iis, quae convenire, opportunaque esse iudicarentur; veluti binae Nostrae in forma Brevis Litterae prae se ferunt, alterae VI Cal. Martias superioris anni datae *Ven. Fratri Episcopo Carpentoractensi, ac Dilectis Filiis Deputatis a Comitiis generalibus eiusdem Civitatis;* alterae XI Cal. Maias eiusdem anni scriptae *Dilectis Filiis Nobilibus, et Populo Civitatis Nostrae Avenionensis.*

At inutiles fuerunt omnino beneficentiae Nostrae, inutiles paternae monitiones, inutilis profectio Delegati. Cives enim Avenionenses minus rite in Conventum coacti illorum Decretorum praesidio, quae a Nostro Pro-Legato extorserant, quaeque a Nobis inania atque irrita declarata iam fuerant, Avenionenses,

inquimus, in Conventum coacti suscipere illum renuerunt, et minitati etiam sunt, se eundem tamquam *perturbatorem publicum* habituros, si pedem in civitatem, aut in territorium intulisset; consiliumque praeterea inierunt exauctorandi Dilectum Filium *Philippum Casoni* Pro-Legatum, aliosque Ministros Nostros, quos inter non defuit qui *insidiis* etiam petitus coactus fuit se *fugae* committere; et ad extremum deliberationem ceperunt sese subiiciendi Ditioni, et imperio Carissimi in Christo Filii Nostri Galliarum Regis Christianissimi, missis hanc ipsam ob causam suis ad eundem Regem, et ad Gallicanum Conventum Deputatis. Hinc per Municipalitatem eidem Pro-Legato, ut Avenione discederet, indictum est; qui reapse discessit die 12 Iunii anno 1790, emissis antea opportunis protestationibus, tum *voce* coram iisdem municipalibus Officialibus, qui sibi discessum indixerant, tum *scripto* coram testibus, cum tabellionum nemo fuerit Avenione repertus, qui illas in Acta referret: quod quidem in causa fuit, cur idem Pro-Legatus *Carpentoractum* profectus mox easdem renovarit die 16 et 21 mensis eiusdem protestationes coram tabellione *Oliveiro*, Cancellario Rectoriae, easque in Acta Secretariae referri iusserit, ne facti huiusce memoria umquam interiret. Sub idem tempus fuit per Avenionensem Conventum *de Constitutione universa* Gallicani Conventus amplectenda cogitatum in politicis aeque atque *in Ecclesiasticis* rebus, et ad eam exsequendam mox tali se tanto cum furore undique ventum est, ut simile quippiam ne in Gallicanis quidem Comitiis conspectum fuerit.

Ex quo factum est, ut parte ex una legitimo et antiquo Principatui miser *Anarchiae* status fuerit suffectus, utque parte ex altera canonibus subrogatae fuerint saeculi leges, sacram Hierarchiam, Ecclesiae

auctoritatem, et Catholicam ipsam Religionem evertentes. Etenim exspoliatae sunt bonis Ecclesiae; argentea supellex direpta; sacra vasa scelestis manibus contrectata ac Massiliam delata, pecuniaeque ex illis conflatae; monasteriorum claustra perrupta; sacrae Virgines male habitae, et ad petenda alia monasteria, aut ad patrios lares remeandos adactae. Praeterea publico programmate die 30 Novembris elapsi anni edictum est tum Ven. Fratri *Archiepiscopo Avenionensi,* qui *Villam novam* locum suae Dioecesis secesserat, tum omnibus *Parochis, Ecclesiasticisque* viris universis, ut brevi temporis spatio *Avenione* sisterent sese, ibique *civici iurisiurandi* religione se adstringerent, iurisiurandi scilicet, ex quo praecipua malorum omnium causa profluxit; si secus fieret, reputarentur omnes e suo gradu deiecti, eorumque Ecclesiae ita haberentur, ac si suo Pastore carerent. Quod quidem *Programma* in mentem Nobis revocat scelestum illud *Edictum* adversus bonos, legitimosque Pastores ab Imperatore *Constante* editum *Arianorum* consilio atque opera, quod Scriptores omnes merito horrore sunt prosecuti. Hoc enim quoque Edictum cum eandem fere sponsionem ab Ecclesiasticis viris postularet, easdem etiam prae se ferebat minas hisce verbis conceptas: *Aut subscribite, aut ab Ecclesiis recedite* (1).

Minis, quae in Edicto continebantur, factum respondit profano scelere et immani sacrilegio undique plenum. Die enim 26 mensis Februarii huius anni accessit ad Cathedralem Ecclesiam Officialis municipalis, cui nomen *Dupratius,* armis instructus, et gladium dextera praeferens, ingentique comitatus militum manu. Is Ecclesiae Canonicos e Choro egredientes in aulam capitularem cogi iussos, nomine *Municipalitatis,*

(1) S. Athanasius Epist. *ad omnes ubique solitariam vitam agentes:* oper. omn. edit. Colon. 1686. tom. I. p. 829. lit. C.

adigere ausus est ad Vicarium Capitularem eligendum, eo sub praetextu, ut iuxta Gallicani Conventus Decreta, per Avenionenses suscepta, haberi Archiepiscopus deberet tamquam *civiliter mortuus*, eiusque Ecclesia tamquam *suo viduata Pastore,* eo quod ipse Avenione stato tempore non stitisset se, neque civicum iusiurandum detulisset.

Negarunt Canonici, se ea exsequi iussa posse quae cunctis Ecclesiae regulis adversarentur. At Officialis minatus est tamdiu prohibiturum se illos, ne inde pedem efferrent, quamdiu ad Vicarii electionem non venissent. Acciri tunc Notarium Canonici postularunt, qui de *vi* sibi illata testimonium ferret. Sed petitione illorum reiecta, Officialis eisdem chartam exhibuit, in qua *octo* Virorum nomina erant exscripta, quos inter Vicarium omnino eligi oportebat, eodemque tempore advocari, atque intromitti iussit *Poncetium* Notarium, et *Escuyerium* Municipalitatis Secretarium, qui electioni interessent. Frustra denuo obniti contra perrexerunt Canonici; sed iis ad suffragium ferendum coactis, ita res se denique habuit, ut nemo *rite* electus dici posset. Ex *decem* enim Canonicis, qui in Capitulo aderant, *Malierius* Canonicus Cathedralis *quatuor* dumtaxat habuit suffragia, *duo De Praetis* alter Cathedralis Canonicus, totidemque *Messangeanius* Canonicus Collegiatae S. Ginesii, et ceteri quinque nullum omnino. Voluit tamen *Dupratius,* ut electio huiusmodi *Malièrii,* ad quam non *maior* Capituli pars, ut ex iure opus est, sed *quatuor* dumtaxat suffragantes accesserant, *pro canonica* haberetur; voluitque insuper, ut Canonici, licet inviti et incassum reluctantes, suo illam nomine *subsignarent;* ac gravibus propositis poenis, vetuit tam praesentibus quam absentibus *Notariis* civitatis, ne quascumqne Canonicorum protestationes in suis Actis exscriberent.

Ubi Officialis extorsit a Canonicis commentitiam hanc electionem, quam Municipalitatis vota, et consilia postulabant, meminisse se simulavit, minime per eosdem Canonicos delatum civicum iusiurandum fuisse. Eo itaque adigendos illos curavit. At cum huiusmodi iurisiurandi vinculo adstringere se Canonici denegarent, veluti ipse iam futurum praeviderat, extemplo nomine *Municipalitatis* declaravit, *exstinctum esse Capitulum,* nec posse deinceps Canonicos ullo munere in Ecclesia defungi, aut aliquo modo in unum corpus coalescere, et congregari.

Erat *Benedictus Franciscus Malierius* adeo provectus aetate, ut ab aetate parum abesset *Eleazari,* senis in Historia sancta percelebris (1), poteratque vel ipse gloriosum *exemplum iuventuti, et universae genti* relinquere, quod ea sibi sumeret ad imitandum *pro gravissimis, et sanctissimis legibus* (2). At longe ille se praebuit *Eleazaro* dissimilem, qui secum animo reputans *aetatis et senectutis suae eminentiam dignam, et ingenitae nobilitatis canitiem, gloriosissimamque mortem, magis quam odibilem vitam complectens, destinavit non admittere illicita, propter modicum corruptibilis vitae tempus* (3). Quandoquidem *Malierius,* non modo coram militibus in aula capitulari adstantibus non recusavit vicarii capitularis officium, quod vivo adhuc Archiepiscopo suo, sanctiores divinae, et Ecclesiae leges cuiquam deferri posse vetabant; sed in sua etiam *libertate* relictus publicas Municipalitati gratias egit, et die 6 Martii, post missam celebratam per *Mouvansium,* Oratorii presbyterum, *insigni municipali* super vestes sacerdotales indutum, non dubitavit in cathedrali solemniori ritu collatum sibi mu-

(1) Lib. II, Machab. cap. VI.

(2) Ibid. vers. 28. et 31.

(3) Ibid. vers. 19, 20, 23, et 25.

nus inire, et possessionem capere *cum militibus;* non recusavit ea ultro libenterque *elogia* excipere, quae ad se, tamquam ad *seditionis columnam* deferebantur tum a *Richartio* civitatis praefecto, tum a *Vinayo* substituto procuratoris eiusdem civitatis; et ad extremum moratus non est haec omnia novo etiam scelere cumulare. Etenim coram omnibus se denuo civici sacramenti vinculo adstrinxit erga nationem, erga leges, et erga regem Galliarum, iisque usus verbis, quibus ne impudentissimi quidem usi erant in Galliis, promisit se praecipue civilem Cleri constitutionem servaturum, quidquid sibi ex adverso obiiceretur obstaculi, et quidquid sui mussitarent sive *inimici,* qui reformationem limis intuebantur oculis, sive *amici,* a quibus se videbat derelinqui.

Id ut factis magis magisque comprobaret, eadem die scriptum quoddam circumferri iussit *ad parochos,* in quo et *de sede vacante* verba faciebat, et *quadragesimalis* praecepti vinculum laxare audebat. Die vero 9 eiusdem mensis, per aliud simile scriptum eos omnes ab exercitio muneris *interdixit,* qui quoquo modo *seminariis* praeessent, eo quod iusiurandum deferre detrectassent; duo etiam subinde seminaria e medio sustulit; et temeritate denique tanta, quanta credi vix ac ne vix quidem posset, litteris datis die 5 eiusdem mensis Nos reddidit de sua electione certiores, Nos ipsos rogans, *ut electionem saltem suam minime improbaremus.* Quae cum ita sint, dubitabit nemo, quin ille *maculam atque exsecrationem suae senectuti conquisierit* (1).

Ista ratione per civitatem Avenionensem nobiscum actum est. Ad *Carpentoractensem* autem civitatem quod attinet, aliasque *Comitatus* communitates, non dubiam profecto illae in Nobis spem excitarant fore,

(1) Lib. II, Machab. cap. VI, vers. 25.

ut primo quoque tempore ad officia sua reverterentur. Illae enim in conventum repraesentativum coactae non susceperunt modo pro-legatum per Avenionenses expulsum, et *Ioannem Celestini* Roma missum, sed etiam die 27 maii superioris anni palam declararunt, se Gallicanam constitutionem amplexuras in iis solum, quae *suis rebus, loco,* ac *tempori* essent accommodata, quaeque *cum obsequio Nobis debito* componi possent, sub cuius imperio et ditione semper sese permansuras affirmabant. At postmodum seu vi devictae, seu blanditiis illectae, seu insidiis circumventae Avenionensium rebellium, satis aperte ostenderunt, se *dicis causa* dumtaxat Summum Pontificem venerari, et eius ministros colere; dum reapse illarum consilia non alio spectabant, nisi ut Pontifex, eiusque ministri constitutionem Gallicanam universam sive ecclesiasticas, sive politicas res spectantem probarent, sancirent, exsequerentur.

Ne inutili sermone prosequamur omnes deliberationes a Conventu Comitatensi captas, sat erit commemorare *septemdecim* illos articulos, ubi *iura hominis* eo prorsus modo suscipiebantur, quo fuerant in decretis conventus Gallicani explicata et proposita, illa scilicet iura religioni, et societati adversantia; et ita suscipiebantur, ut novae constitutionis essent veluti basis ac fundamentum. Item sat erit commemorare alios *undeviginti* articulos, qui erant *prima novae constitutionis elementa,* ex ipso constitutionis Gallicanae fonte petita atque hausta. Quemadmodum autem fieri minime poterat, ut Nos deliberationes sanciremus huiusmodi, utque Nostri ministri, quicumque ii demum essent, illas exsequerentur; ita factum est, ut Conventus repraesentativus illico patefecerit vesanum illum rebellionis ardorem, quo tamdiu conflagrabat, quique ad id usque tempus delituerat.

Odio itaque percitus in pro-legatum Nostrum, eo quod nec suis petitionibus indulserat, nec civicum sacramentum detulerat, eundem quacumque exuit iurisdictione, et tamquam ministrum Nostrum haberi amplius non posse declaravit. Nec dissimili ratione cum dilecto filio *Christophoro Pieracchi* Carpentoracti rectore, cumque aliis ministris Pontificiis est actum. Subinde in locum pro-legati novum tribunal institutum, tresque Conservatores Status nominati, et duo deputati ad Nos missi, *mandato* quodam instructi arrogantiae, et iniuriarum pleno, ac apertam defectionem prae se ferente: quod in causa fuit, cur deputatis huiusmodi omnem ad Nos aditum occluderemus. Exauctoratis ita Nostris ministris, debuit *Ioannes Celestini* Romam re infecta reverti, aliique Pontificii ministri exinde recedentes petierunt primo *Aubignanum*, locum *Carpentoracto* proximum, mox *Buchetum* prope terminos Venaisini Comitatus, subinde crescente tumultu *Montemlimartium* in Delphinatu, et denique *Camberiacum*, ubi die 5 martii huiusmet anni opportunas protestationes renovarunt, easque in actis cancellariae Episcopalis inserendas curarunt.

Quis umquam credidisset, hunc Nostrorum ministrorum discessum non alia ex causa profectum, nisi quod illi se omni iurisdictione exui, suamque ipsorum vitam periclitari viderent, veluti eorum saepius iteratae protestationes declarant; hunc, inquimus, discessum ansam praebiturum fuisse Consilio municipali Carpentoractensi, nonnullisque aliis Communitatibus dictitandi, et vulgo obloquendi, esse populos a suo principe derelictos, solutisque propterea a iureiurando *fidelitatis* licere, si vellent, se regi christianissimo dedere, quemadmodum revera faciendum sibi esse decreverunt? Populus sane Avenionensis, et Comitatensis sese Nostrae ditioni subduxit, violare ausus humanas

leges, atque divinas. Sed Nos numquam de hiscepopulis deserendis cogitavimus, iisque proinde Nostram opem, auxiliumque conferemus in posterum, veluti antea praestitimus, modo ad Nos revertantur. Hanc ipsam ob causam iis, qui a Nobis defecissent, ultro *veniam* obtulimus, nullis limitibus circumscriptam. At hic singularis Nostrae clementiae actus tam Avenione, quam Carpentoracti adeo effreni audacia exceptus est, adeoque indignae deliberationes utrobique captae, ut satius ducamus ea silentio, ac tenebris tegere, quam in lucem emittere.

Sed non idcirco Noster amor deferbuit. Non ignoramus equidem, Ven. Fratres, inter Vos esse neminem, qui hactenus patrata facinora summo non prosequatur horrore, et non eo suas curas convertat, ut, quo melius possit, suo Pastoris munere defungatur. Scimus item Vos inter, dilecti filii, canonici, parochi, aliique Avenionis et Comitatus ecclesiastici viri, plurimos exsistere virtute praestantes, et religionis ardore succensos, promptos proinde, paratosque quibusvis tolerandis aerumnis, ad Dei, Ecclesiae et patriae causam tuendam. Scimus denique, ex Vestro, dilecti filii, nobili et civico coetu plurimos esse egregio in Ecclesiam studio, et optimo in Nos animo cum Avenione, tum multo magis in Comitatu, ubi integrae Communitates bene multae intactam, atque intemeratam servant religionem atque fidelitatem. Hinc a divina sapientia edocti eorum ducimus habendam esse rationem, qui probi et iusti sunt, ut improbos cum mansuetudine toleremus. Et quamvis tanta crimina intuentes maximo animi afficiamur dolore, volumus tamen utrosque paterne alloqui, ut boni in proposito perstent, utque improbi in viam reducantur, et suas poenitentia ducti culpas eiurent. Eo vel magis, quia per id temporis haec scribimus, quo sanctius nihil est, quodque fert secum

dies *reconciliationis* ac *pacis*. Minime itaque horrescimus *propter adversos casus*, qui tam istic, quam in Galliarum regno evenerunt, perinde ac si Deus Nos dereliquisset. Sed illud mente revolvimus ac reputamus, ea, quae propter Nostra, et populorum peccata acciderunt, *non ad interitum, sed ad correptionem esse generis Nostri* (1); certoque futurum confidimus, ut Deus Optimus Maximus, coram quo saepius procumbentes Nobis, populisque Nostrae curae concreditis veniam flagitavimus, reconcilietur servis suis; quippe *numquam quidem a Nobis misericordiam suam amovet, sed corripiens in adversis populum suum non derelinquit* (2); *et qui derelictus in ira Dei Omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione exaltabitur* (3).

Audite, ven. Fratres, ac dilecti filii, Nostras paternas voces, quas consilium sequentes ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ad Vos convertimus, veluti Pastor universalis, et princeps Vester pro rerum ecclesiasticarum, ac politicarum diversitate. Ad *ecclesiasticum* regimen quod attinet, cum illis, qui iureiurando amplexi et exsecuti sunt, vel umquam amplecterentur et exsequerentur istic *civilem cleri Constitutionem*, eadem mansuetudine agemus, qua cum iis usi sumus, qui idem praestiterunt in Galliis, ubi ortum habuit eadem Constitutio partim haeretica, partim schismatica, et in universum longe a regulis, et disciplina ecclesiastica abhorrens; ita ut proinde propositum Nobis sit, nihil agere aliud, nisi easdem *declarare, ac extendere* canonicas poenas, quas Nostrae litterae prae se ferunt, die 13 huiusce mensis datae *dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, et vene-*

(1) Lib. II, Machab. cap. VI, vers. 12.
(2) Loc. cit. vers. 16.
(3) Lib. II, Machab. cap. V, vers. 20.

rabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, ac dilectis filiis Capitulis, clero, et populo regni Galliarum: quarum complura exempla ideo ad Vos mittimus, ven. Fratres, ut his iuncta litteris ad manus deferenda curetis Capitulorum, cleri, ac populorum istius Nostrae ditionis.

Apostolica hinc Nostra auctoritate declaramus irritos, illegitimos, et sacrilegos *actus* omnes, quocumque demum, nomine tum *Avenione* tum *Carpentoracti,* tum *alibi* facti sint ad amplectendam exsequendamque tam tacite, quam expresse civilem cleri Constitutionem universam, sive eius tantummodo partem: hosque actus omnes, quos *pro expressis* haberi volumus, damnamus, rescindimus, atque abolemus.

Super omnia rescindimus, atque abolemus *edictum diei 8 octobris 1790,* quo consilium municipale Avenionis, non minus temere quam impie, ausum est cogere ven. Fratrem Archiepiscopum illius civitatis, canonicos, parochos, aliosque ministros ecclesiasticos ad se *civico iureiurando* obstringendos, catholico quovis homine prorsus indigno; edita declaratione, ut Sedes archiepiscopalis, ut parochiae, utque alia officia omnia *pro vacantibus* haberentur, nisi sacramentum huiusmodi deferretur; *edictum* propterea irritum, atque sacrilegum, suapte natura idoneum schismati invehendo.

Aeque damnamus, atque abolemus *electionem Malierii in Vicarium Capitularem,* eam declarantes impiam, violentam, irritam, atque sacrilegam, utpote quae incognita prorsus est in Ecclesia Dei; cum vivo adhuc Pastori legitimo adimi regimen suarum ovium nequeat nisi ex causis canonicis, ab ipsa Ecclesia, aut ab hac Sancta Sede; et utpote quae necessariis suffragiis destituitur, et omni caret libertate, ita ut non canonica et ecclesiastica electio considerari debeat, sed actus *militaris,* atque *hostilis.* Suffragia enim vis

militaris extorsit; vi militari factum est, ut commentitia istaec electio ederetur in vulgus, iustis posthabitis Canonicorum protestationibus, quae profanum actum antecesserunt, et consecutae sunt; vi denique militari accepta referri debet electi ipsa possessio. Huc itaque convenire possunt, quae *a synodo Alexandrina* in epistola *ad Episcopos Ecclesiae catholicae* scripta sunt, *cum S. Athanasius* e sua sede fuit deiectus in conciliabulo Tyri, *cui Comes praesedit, ubi Comes verba faciebat, ceteri praesentes in silentio erant, vel potius Comiti obsequium suum accommodabant, ubi quod communiter episcopis placuit, ab illo impediebatur, ille imperio utebatur, nos a militibus ducebamur.* Optime synodus affirmavit deiectionem huiusmodi habendam esse tamquam *negotium imperatorium, non synodale* (1). Aeque conveniunt, quae a *S. Iulio* dicta sunt, ubi in locum eiusdem Athanasii suffecerunt episcopi Ariani *Georgium* depeculatorem, eumque militari manu stipatum Alexandriam miserunt. Egregie S. Pontifex scribebat, *Georgium* in Ecclesiam ingressum fuisse, *non cum presbyteris, et diaconis civitatis, sed cum militibus... Dilecti credite, tamquam Deo praesente cum veritate loquimur, non est illud pie factum, non ex iure, non ecclesiastice* (2).

Declarata electionis nullitas, nullitatem secum fert omnium actuum *per Malierium in introitu* gestorum sine iurisdictione contra rectores seminarii, contra probos pastores, contra religiosos presbyteros, non alia de causa suis officiis exutos, nisi quia iusiurandum edere renuerunt de Constitutione prorsus acatholica servanda. Apposite ad rem nostram denuo *S. Iu-*

(1) S. Athanas. Apolog. II, pro fuga sua: oper. omn. cit. tom. I, pag. 728. lit. D, et p. 780 lit. C.

(2) Epist. Danio etc. ceterisque eorum, qui ex Antiochia scripserunt: loc. cit. pag. 748. lit. C, et pag. 749. lit. A, B.

lius exclamat: *Quae feruntur a Georgio acta in introitu eius, ostendunt qualis fuerit ordo in eius ordinatione: presbyteri.... indigne habiti.... sacra mysteria direpta; ut vi cogerent nonnullos ad constitutionem Georgii approbandam. Haec, et istiusmodi ostendunt, quinam sint canonum praevaricatores. Nam.... nec cum praevaricatione legis coegisset eos sibi obtemperare, qui ei legitime obaudiebant* (1).

Quamvis profecto multa et gravia sint crimina per *Malierium* patrata, nihilominus volentes eidem spatium ac facultatem relinquere colligendi se, suasque culpas publica atque opportuna satisfactione purgandi, Nosmetipsos modo cohibemus a gravioribus canonicis poenis, eique infligentes poenam omnium mitissimam, ipsum declaramus *ab ordine sacerdotali suspensum*, et *irregularitati* etiam obnoxium, si praedictum ordinem audeat exercere.

Praecipimus insuper praedicto *Malierio* sub eadem *suspensionis* poena, ne audeat deinceps aut se Vicarium Capitularem vocare, aut ulla munia obire, quae quoquo modo ad hanc pertineant dignitatem, ad quam non rite, et non canonice accessit. Praecipue vero interdictum eidem volumus, ne per ipsum dimissoriae litterae dentur ad ordines suscipiendos; et ne parochi, vicarii, rectores seminariorum, functionarii, aliique ministri ecclesiastici cuiusvis generis, licet a populo electi, quovis modo instituantur; declarantes irritas, atque inanes institutiones, ac deputationes omnes, quae hactenus factae fuissent cum omnibus inde secutis, aliosque actus quoslibet, quos facere auderet in posterum.

Subiicimus quoque eidem poenae *suspensionis* ab exercitio ordinis praedictum *Mouvansium*, Oratorii

(1) Cit. pag. 749. lit. B.

presbyterum, qui et missam celebravit, dum pseudo-vicarius Malierius possessionem iniret, et per summam temeritatem vestibus sacerdotalibus, quibus erat indutus, signum municipalitatis adiunxit.

Ad vos autem conversi, dilecti Filii, canonici, ecclesiastici, et cives *Avenionenses* universi, vobis in Domino praecipimus, ne aut praedictum vicarium capitularem, aut alios ministros quoscumque ullo modo suscipiatis, qui per anfractus, et cuniculos in parochias, et in alia ecclesiastica munera subingredi molirentur: e contra vero vobis praecipimus, ut archiepiscopo primum, deindeque vestris legitimis parochis ita, ut decet, pareatis; hi enim semper vestri pastores erunt, tametsi inviti secedere cogerentur, et tametsi horribili sacrilegio alius eligeretur, ac consecraretur archiepiscopus, aliique parochi instituerentur. Quod quidem sacrilegii genus satis per Nos declaratum, ac vindicatum est Nostris litteris *ad Episcopos Galliarum* datis, et vobiscum communicatis. Erit itaque onus *Archiepiscopi* suas oves regere, et proborum *parochorum* spiritualia subsidia suo populo suppeditare, quo meliori poterunt modo. Mementote, sine canonico Ecclesiae iudicio non posse vos, per speciem violentiae etiam et necessitatis, ab eo obedientiae vinculo subduci, aut solvi, quo erga Archiepiscopum vestrosque parochos devincti tenemini, veluti die 1 mensis Aprilis per celebrem *Sorbonae Universitatem* in conventum extraordinarium collectam agnitum, et declaratum est.

Atque hoc loco opportunum ducimus tum Archiepiscopum vestrum, tum alios functionarios *ab accusationibus* vindicare, quibus in *edicto Consilii municipalis* iniuste onerantur, perinde ac si iidem non nisi contra canonum praescripta Avenione abesse non possent. Tunc enim iuxta canones abesse sine culpa non potest neque archiepiscopus, neque alii ministri, qui

sui officii munere Ecclesiae coguntur adesse, quando *iustis et rationabilibus cessantibus causis* se confert archiepiscopus *extra dioecesim*, ibique ultra tempus permissum commoratur; aliique ecclesiastici ministri ab ecclesiae, cui addicti sunt, servitio secedunt. At id si accidat, edicti auctores ignorare minime debent, per *canones* ipsos permissum haud esse *laicis* sententiam in *Ecclesiasticos* dicere, et in illos extrema privationis poena animadvertere: sed liberum tunc ius et arbitrium *Ecclesiae* relinqui eosdem, per quosdam veluti gradus, variis poenis afficiendi, aut illos privando beneficiorum reditibus, aut eosdem mulctando spiritualibus poenis, aut eos denique ipsis beneficiis privando: ita ut si de *Metropolitano* absente ageretur, *Episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cuiusque maior, aut minor contumacia exegerit, suae supremae Sedis auctoritate animadvertere, et ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire*, ut totidem verbis *in Concilio Tridentino* sancitum est (1).

Iam vero notae cuique sunt maximae illae turbae, istic excitatae, quae sicuti nobiles cives, ita et ecclesiasticos viros adegerunt, ut patriam, domiciliumque relinquerent, ad peierandi occasionem evadendam, aut ad se illis periculis liberandos, quae alii probi viri miserrime subierunt; quae sane pericula ne ab eorum quidem bonis abesse potuerunt, veluti de archiepiscopali domo, deque aliis Archiepiscopi bonis factum est. Eodem accedit, quod Archiepiscopus numquam extulit pedem e sua dioecesi: *Villanova* enim, ubi ipse commoratus est, et commoratur adhuc, *intra fines* con-

(1) Sess. 6. de reform. cap. I et II, et Sess. 23. cap. I de ref.

tinetur *dioecesis* eiusdem; ita ut hanc ipsam ob causam dici nequaquam posset, eum a Tridentina sanctione discessisse, utpote quae metropolitanos iubet in ecclesia archiepiscopali, *vel in dioecesi* (1) residere. Ceterum Nobis, ad quos spectat hisce de rebus iudicium, certo constat, nihil ardentius optare Archiepiscopum, quam istuc regredi, et ad vos iam reversurum fuisse, posthabito etiam suae vitae discrimine, nisi metueret, ne sui sacrificium capitis, potius quam utilitati ovibus suis, esset infelicissimis hisce temporibus damno, ac detrimento.

Quae clero, et populo Avenionensi diximus de obedientia Archiepiscopo, et pastoribus debita, ea vobis quoque dicimus, dilecti filii, canonici, ecclesiastici, ac populi aliarum ecclesiarum *Comitatus*. Arcete vos ab iis, qui in alienas ecclesias invaserint, aut invadere adhuc molirentur, illos devitate, illos cum horrore conspicite: vestros autem legitimos episcopos, et parochos diligite, eos colite obsequio, illos audite.

Omnes autem Avenionenses, et Comitatenses simul una animorum et voluntatum consensione, ubi de rebus *religiosis* agitur, oculos semper convertite ad leges divinas, ad ecclesiasticas leges, et ad leges huius apostolicae Sedis. Ecclesia enim, et apostolica Sedes Spiritu Dei agitur. Id si praestabitis, veluti pietati Dei confisi equidem speramus futurum, ira Dei in misericordiam convertetur, deque iis triumphum agetis, qui adversus religionem proeliantur, quique ea de vobis confiteri cogentur, quae Iudaeorum inimici de *Machabaeis* iam praedicabant, Iudaeos scilicet *Deum protectorem habere, et ob ipsum invulnerabiles esse, eo quod sequerentur leges ab eo constitutas* (2).

A regimine ecclesiastico ad *civile* regimen nunc

(1) Cit. Sess. 23. cap. I, de ref.

(2) Machab. cit. lib. II. cap. VIII. v. 36.

transgredientes non possumus equidem eandem vobiscum rationem inire, quam cum Gallis inivimus. Ad Gallos enim quod pertinet, data opera sermonem habere noluimus de nova lege circa res *civiles* a comitiis generalibus profecta, et a Rege sancita, ad quem ista pertinebant; e contra autem tacere haud possumus cum vobis, qui multis iam a saeculis sub apostolicae Sedis, summorumque Pontificum ditione degentes, sine suprema auctoritate Nostra *temporalis regiminis* formam immutare non potestis omnino; ita enim postulant aeque humanae leges, atque divinae.

Hinc Nostra utentes suprema ac legitima potestate, qua uti Princeps fungimur, rescindimus omnes et singulos actus tam *Avenione,* quam *Carpentoracti,* et in alia qualibet *Comitatus* parte factos adversus iura Nostri Principatus, et reprobamus imprimis, atque abolemus tamquam irritas, et violentia ac seditione plenas, deliberationes istic captas de vobis e Nostra ditione subducendis, ac Gallicae ditioni tradendis; deliberationes, inquimus, quas carissimus in Christo filius Noster Rex christianissimus, una cum inclyta natione sua, non modo probare nequit, sed ne in disceptationem quidem vocare, absque eo quod sanctiora gentium iura laedantur, veluti ipsi Regi iteratis expostulationibus patefecimus.

Improbamus item atque rescindimus deliberationes aeque absurdas ac seditiosas vivendi istic ad instar *reipublicae;* reprobamus et rescindimus illas etiam deliberationes, quibus per summam insaniam suscipiuntur exterae civiles leges tam conditae, quam *adhuc condendae,* et quibus novae, periculosae, incertaeque leges anteferuntur Constitutioni antiquae, domesticae, et legitimae, sub qua vos, vestrique maiores tot iam saeculis tranquille, pacateque vixerunt.

Et aliis innovationibus omissis, sine Nostra con sensione factis in maxima rerum et animorum com motione, et in ipso seditionis aestu, quae *pro irriti* haberi debebunt, perinde ac si hoc loco *singillatim* per Nos commemorarentur, abolemus praesertim indi gnissimos *violentiae* actus, per quos Nostri pro-Lega tus, Rector, aliique Ministri exauctorati primum sunt et deinde, novis suffectis officialibus ac tribunalibus ad discedendum coacti. Utque dubitari nequeat um quam, quin intactam integramque servemus *antiquam Nostram possessionem*, et quin Nostra omnia veters ac legitima iura sarta tecta tueamur, hic conceptis verbis et solemniori, quo fieri potest, ritu *confirmamus* non *protestationes* modo, quarum supra meminimus, per pro-Legatum Nostrum saepius instauratas, quas hic haberi volumus, ac si de verbo ad verbum essent exscriptae, sed *reclamationes* etiam, quas exemplum secuti Nostrorum praedecessorum, et morem aliorum principum imitantes deferendas curavimus ad Regem Galliarum, et ad alias catholicas Aulas eo consilio ac mente, ut, ad diuturniorem pervicaciam superandam, ea quoque, si opus fuerit, in usum vocaremus fortiora remedia, quae in Nostra sunt potestate.

His praehabitis, vos paterne monemus atque hortamur, ven. Fratres, ac dilecti Filii, qui fideles pe[rstitistis], stitistis, ut eos, qui tot tantisque nominibus defe[ce]runt, nedum opere, sed etiam sermone excitetis [a]d seditionem, qua misere implexi sunt, deserendam, ad redeundum ad Nos; qui ita animo comparati s[u]mus, ut illos iterum amplecti, ac sinu excipere n[on] recusemus. Meminerint esse Dei praecepto constit[u]tum, quod *sacrae paginae* tam saepe inculcant, [ut] subditi pareant principi suo, utque patrias leges ex[se]quantur, quae ab illo prodierunt. Caveant diligent[er] a studio rerum novarum, quae, quamvis specie s[...]

utiles videantur, sunt semper cum periculo summo coniunctae. Si quid in patrias leges irrepsit abusuum, iam declaravimus alias, modoque iterum declaramus, promptos Nos esse iis eradicandis, et e medio tollendis, vestrisque votis, quantum in nobis erit, auscultandis. Desinant factiones et simultates inter cives, res ad suum ordinem revertantur, restituatur animis charitas, iustitia, pax: felices enim undique eritis, si servatis Dei, Ecclesiae, ac Principis vestri legibus pace perfruemini; quandoquidem *Deus pacis ac dilectionis erit vobiscum*, veluti fidelibus promisit apostolus Paulus (1). Nos interim in illius pacis pignus, quam omnibus a Domino exoptamus, vobis ven. Fratres, vobisque dilecti Filii, Nostram apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXIII Aprilis MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

PIUS, qui supra.

XXXVI.

DECRETUM

PARISIENSE, SEU ROTHOMAGENSE

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei, sororis Mariae ab Incarnatione, fundatricis monialium Carmelitarum excalceatarum in Galliis; super dubio an, stante approbatione virtutum, ac trium Miraculorum, tuto deveniri possit ad solemnem eiusdem Ven. Servae Dei Beatificationem.

Quo tempore e Galliarum regno, ob tot inflicta Ecclesiae unitati potestatique vulnera, paterno Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae Sexti animo novus quo-

(1) Epist. II ad Corinth. cap. XIII v. 11.

*

tidie dolor affertur, non leve ei praebet ex eadem regione solatium ven. serva Dom. MARIA AB INCARNATIONE, quae iam digna caelitum honoribus, pervento nuper ad exitum iudicio, reperta est.

Nihil enim tempori accommodatius esse poterat, quam ut ei publicus in patria decerneretur cultus, eiusque vita civibus recolenda et imitanda proponeretur, quae superiori saeculo, tamquam praeclarissimum sanctitatis exemplar, publico Gallorum testimonio celebrata, iam tum visa est factis dictisque suis profanas plerasque huius temporis novitates reprobasse.

Summus enim in ea eluxit catholicae fidei dilatandae ardor, summum in augendo religionis splendore studium, summa in Ecclesiam, eiusque hierarchiam pietas atque observantia.

Haec ut haereses omnino exstirparentur sollicita, assiduis id a Deo precibus flagitavit, atque adhibito Ecclesiasticorum virorum ministerio, nec sumptibus nec labori pepercit, ut ad Ecclesiae sinum reducerentur haeretici, et salutaribus institutis imbuerentur.

Huic templa, eorumque ministri, quorum nunc publicata sunt bona, reditusque imminuti, adeo curae fuerunt, ut eorum inopiam partim sua, partim collata undique stipe sublevaret, atque in comparandis altarium ornamentis, vel pretiosiori sacrorum supellectile, suam sedulo impenderet, aliarumque matronarum excitaret industriam.

Religiosi porro Ordines, quos nunc omnino delere Gallis est constitutum, tanto apud eam in honore ac pretio fuerunt, ut non modo impense usque foverit, copiosisque subsidiis sustentarit, sed, ut novos etiam inveheret in Gallias, Carmelitarum praesertim Excalceatarum familiam, plurimum opibus, gratia, laboribus adnisa sit; eisque ut primum in humili servientium gradu adnumerari impetravit, maximum id fuisse Dei

beneficium in indignam collatum palam omnibus profiteri numquam destiterit.

Ipsa sacris Ecclesiae ritibus, psallentium praesertim choris, quibus nunc templa plurima, dissolutis Canonicorum collegiis, destituuntur, adeo est delectata, ut sexto ante obitum die, morbo licet doloribusque confecta, in templum deferri voluerit, et sacrae Parasceves mysteriis interesse.

Ipsa denique divinam Ecclesiae auctoritatem maximi facere, eius institutis in minimis etiam rebus summo studio et accuratione parere, Ecclesiae praesules, tamquam angelos de caelo delapsos venerari, imprimisque Summi Pontificis gradu potestateque adeo affici visa est, ut nec eius umquam nomen sine singulari aliqua reverentiae significatione pronunciaret, ab eoque quidquid proficisceretur, quasi a Deo ipso demissum, alacri libentique animo susciperet.

Quapropter, eversam nunc funditus Ecclesiae disciplinam, eius regimen civili imperio mancipatum, sancta episcoporum iura coarctata, pastores sedibus deturbatos,supremamqueRomaniPontificisiurisdictionem, tamquam peregrinam, e Galliis eliminatam ipsa nunc e caelo despiciens, tantam Ecclesiasticae rei perturbationem vehementer aversari videtur, ac proposito suarum virtutum exemplo, errantes cives, ut in viam tandem redeant, commonere.

Huic igitur publica veneratione tributa, sperare in Domino fas est, ut Galli ad eam colendam, virtutesque ipsius imitandas excitati, fructum uberrimum charitatis eius in patriam, impetrata religionis integritate, percipiant.

Hac spe fretus Pius Pont. Max. cum iam Ven. Mariae virtutes *idibus Octobris anni MDCCLXXXVIII*, heroicas edixisset, tum hoc anno IV. *idus April.* tria miracula, quae sanctitatem eius illustraverant, appro-

fecta est, afficiamur, pluries vobis, et litteris et indubiis argumentis significavimus. Quapropter, quantum in Nobis fuit, Dei adiuvante gratia, torrenti iniquitatis obsistere adhuc conati sumus; et quoniam, sicut nuper accepimus, eo usque processum est, ut neque cultus divinus, neque religionis nostrae mysteria ac caeremoniae palam ac servatis ecclesiae legibus, peragi possint, hinc utile atque catholicae religioni proficuum futurum fore arbitrati sumus, apostolici ministerii humilitati nostrae ex alto concrediti partes hisce quoque desuper interponere, ac vos in tanta rerum perturbatione, in qua Ecclesiae disciplinae capita minime servari possunt, ab iis in parte aliqua solvere, ut pro tempore ac re consulere, quidve optimum adhibere valeatis.

Nos itaque vestrum votis annuere volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus innodatae exsistunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus multorum ex Ordine vestro, qui apostolicae huic Petri Cathedrae firmiter adhaerent, atque Ecclesiae iura strenue tuentur, nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Fraternitatibus vestris, de quorum fide ac religionis zelo plurimum confidimus, durantibus praesentibus regni Galliae calamitatibus, ac ad Nostrum et apostolicae Sedis beneplacitum, quatenus urgeat necessitas, et Ecclesiae utilitas id postulet, iuxta prudentiam vobis a Deo datam, olea sacra, cum presbyteris quos potueritis habere, et etiam extra diem *Coenae Domini*, prout a sacris canonibus praescribitur, conficiendi; Clericos ad quatuor minores ordines, quatenus illos nondum sus-

ceperint, quatuor feriatis, vel non feriatis, seu unica, et subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus, et presbyteratus ordines, tribus Dominicis, seu aliis festivis diebus, non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio, vestrum arbitrio definiendo, interpolatis, etiam extra tempora ad id a iure statuta, et interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis minime servatis, anni curriculo non exspectato, etiamsi in unoquoque ex dictis sacris ordinibus, antequam ad alium promoveantur, minime se exercuerint, promovendi, illosque conferendi; nec non simplices sacerdotes, ut paramenta sacra, tabernacula pro custodia sanctissimae Eucharistiae, et alia utensilia ad sacrosanctum Missae sacrificium necessaria benedicere, calices et patenas chrismate a vobis, vel ab alio quocumque catholico antistite, gratiam et communionem Sedis apostolicae habente, benedicto consecrare; atque ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis, etiam aqua ab episcopo non benedicta, reconciliare libere ac licite possint et valeant, subdelegandi, plenam et amplam facultatem auctoritate apostolica, tenore praesentium tribuimus et impertimur, non obstantibus apostolicis ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Terracinae sub Annulo Piscatoris, die *quarta* (1) Maii MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

Cardinalis Braschius de Honestis.

(1) Etsi in edition. ann. 1790 et 1800 hae litterae datae dicantur die *decima* Maii, scriptas tamen fuisse die *quarta* eiusdem mensis suadent nedum accurata editio cl. P. Thainer ann. 1857, verum et alia indubia documenta.

XXXIX.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita die 15 Maii 1791.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. VI ob rationabiles causas Sibi notas, attentisque praesentibus peculiaribus circumstantiis catholicorum in civitatibus ac dioecesibus sub dominio Regis Christianissimi commorantium, facultatem tribuit R. P. D. Antonio Zondadari Archiepiscopo Adanensi, uti sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, recipiendi ac referendi Eidem Sanctissimo, nec non expediendi instantias ac petitiones illas, quas in posterum promoveri contigerit tam favore catholicorum in illis partibus degentium, quam pro conservatione ac ulteriori Fidei propagatione, instar aliorum locorum, in quibus grassantur haereses: quousque tamen causae et circumstantiae huiusmodi perduraverint.

L. Card. Antonellus.

XLI.

AD S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

Ludovicus Renatus Eduardus Cardinalis de Rohan Episcopus Argentinae humiliter exponit, quod vigore Indulti huius sacrae Congregationis dispensandi in tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis, debet ipse sive eius Suffraganei Vicariique generales (sub poena nullitatis ipsiusmet Indulti) similes dispensationes in scriptis concedere, earundemque notam in libris sive regestis facere. Sicuti autem in actualibus regni Galliae circumstantiis ob decreta Conventus Nationalis, quicumque Repraesentans ecclesiasticus, qui

praestare civicum iuramentum renuit, habetur tamquam civici ordinis perturbator, et se ingerere non potest in propriis functionibus, immo poenis indictis ab eodem Conventu Nationali remanet subiectus, ita ad evitanda quaecumque inconvenientia graviaque mala, supplex Orator ab Eminentiis Vestris petit facultatem, ut in parte suae dioecesis Alsatiae, ubi praesertim exposita mala timenda sunt, sive in omnibus aliisque locis suae dioecesis, casibus obvenientibus, eius Suffraganei ac Vicarii generales *verbaliter* dispensare possint super enunciatis gradibus ab Indulto concessis, nec ullam in libris teneantur notam facere.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita die 15 Maii 1791.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia PP. VI, referente R. P. D. Archiepiscopo Adanensi sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, attentis expositis circumstantiis, petitas ut supra facultates Episcopo oratori benigne concessit; ita tamen, ut Parocho certo constet de dispensatione ab Ordinario concessa, et in aliquem librum ab eodem Ordinario secreto asservandum elargitae dispensationis cum inscriptione nominum dispensatorum, nota aliqua aut documentum referatur: durante hac temporum calamitate, et ad beneplacitum Sanctitatis Suae, contrariis quibuscumque non obstantibus.

A. Archiep. Adanen. Secretarius.

XLII.

DILECTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DE ROHAN

Episcopo Argentoratensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Non mediocrem cepimus in gravissimis curis solamen ex litteris tuis, dilecte Fili Noster, quas die 28 Maii post redditas et tibi et Argentoratensibus catholicis epistolas Nostras, perscripsisti. Pergis in iisdem, qui nunc status sit dioecesis, et Ecclesiae tuae declarare. Paucas ex tuis ovibus seducere potuisse intrusum episcopum nuncias, cum illae vocem eius agnoscere, sequique detrectent, quod profecto et tuae sollicitudini ac vigilantiae tribuimus, et tuorum operariorum sedulitati ac virtuti, quos inter commemorare Nobis praecipue voluisti tuae dioecesis Vicarium generalem Angelum d'Eymar, cuius animum, ac praestans in veram doctrinam studium apostolica voce commendamus, cuique de tam illustribus in Ecclesia meritis summopere gratulamur. Quod dum Nostris verbis eidem significabis, gratamque pariter Nostram voluntatem ceteris tuae pastoralis curae sociis referes; eodem tempore tibi maxime persuasum esse volumus, intelligere Nos, quam constans ipse sit ad religionis catholicae dogmata ac iura inter graves adversantium insectationes retinenda ac tuenda, quamque exemplo tuo, tuorumque sub te pastorum, pietas fidelium fiat in dies,

tamquam aurum in igne, perspectior ac flagrantior. Quod ex iis etiam patet pastoralibus litteris pseudo-episcopi Antonii Brendel, quarum exemplar ad Nos transmisisti, in quibus solitudinem deplorat suam, suique commiserationem in plebe excitare contendit, quibus certe litteris nihil esse imperitius potest, nihil audacius, nihil absurdius, nihil quod indignationem in bene sentientium animis non commoveat, eosque non irritet. Eidem intruso Brendel octo dies te ad resipiscendum indulsisse significas in tua monitione data die 23 Martii, distulisse postea eius monitionis exsecutionem, quod cum Nos in litteris Nostris apostolicis die decima tertia Aprilis proxime praeteriti datis ad excommunicationis sententiam contra schismaticos, nisi monitionibus nostris obtemperent, deventuros esse denunciaverimus, non iudicasti sanctae Sedis anathemata tuo iudicio antevertere. Petis igitur a Nobis, quid hac de re tibi nunc agendum sit. Huic postulato tuo per hasce Nostras, dilecte Fili Noster, rescribimus, scilicet posse iam te post tantum temporis a tua comminatione elapsi, excommunicationis sententiam, si ita faciendum videbitur, ac salutaris sit fructus istic consecuturus, tuo arbitratu in ipsum pseudo-episcopum, aliosque cum ipso reos proferre, atque emittere. Alii item quod in fine subiicis respondemus postulato, annuimusque, si per divinam benignitatem contigerit, ut in ecclesiam tuam cathedralem regrediaris, tibique apostolica nostra auctoritate concedimus, ut durante reconciliationis templi cathedralis solemnitate, intra octiduum ad solamen fidelium quicumque dictum templum visitaverint, ibique per horae quadrantem divinae misericordiae gratias egerint, et pro sanctae Ecclesiae incolumitate, atque exaltatione iuxta mentem Nostram oraverint, plenariam peccatorum indulgentiam lucrari valeant. Nihil

iam amplius addendum arbitramur, dilecte Fili Noster, cum te tua praeclare voluntate summopere incensum nunc maxime ad religionis studium, ad animi fortitudinem, et constantiam exhibendam videamus; confirmamus tamen iam antea declaratum tibi Nostrum de te iudicium, quo nihil esse potest ad tui nominis laudem existimationemque cumulatius. Neque profecto dubitamus, quin Deus Optimus Maximus, qui sua gratia tantam hoc tempore virtutem in animis excitavit pene omnium Gallicanae Ecclesiae antistitum, suam inde maiorem eliciat gloriam, ex inscrutabili scilicet suorum consiliorum ratione proventuram. Ac in caelestium munerum auspicium apostolicam benedictionem tibi, dilecte Filii Noster, tuaeque fidei concreditis ovibus in Nostrae etiam singularis benevolentiae pignus peramanter impertimur.

Datum Romae, die XXIX Iunii MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

XLII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO

Francorum Regi Christianissimo

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Evenisse tandem, quod summopere cupiebamus (1), intelleximus, Maiestatem Tuam, inter varios casus, timores ac discrimina ex illa Parisiensi efferatorum

(1) Le Souverain Pontife croyant aisement ce qu'il desirait, et confirmé, par une foule de couriers partis de tous les points de la

ac furentium hominum immanitate, cum universa regia familia elapsam esse, iamque in tuto consistere. Incredibile est, carissime in Christo Fili Noster, quae a paterno Nostro animo fuerit ex hisce recentibus nuntiis percepta consolatio, quam certe nullis satis assequi verbis ac explicare possumus. Neque Nostra solum haec maxima iucunditas est, sed et universae civitatis nostrae, omniumque ordinum a summis ad infimos, qui Te Tuosque salvos incolumesque, Deo protegente, a gravissimis illis periculis evasisse laetantur. Personant adhuc huius orbis fora, viaeque exsultantis populi romani publicis vocibus, ac de Tua salute gratulantis; cuius laetitiae testes, ne quid hic a Nobis exaggeratum suspicari possis, ipsas adducimus regias principissas dilectissimas in Christo filias Nostras Mariam Adelaidem, et Victoriam Mariam, praestantissimas amitas Tuas, nec non et ven. fratrem Nostrum Cardinalem de Bernis, qui certe in hoc communi animorum studio continere lacrimas minime potuerunt; sed si in percipienda de Te consolatione ceteros omnes a Nobis superari dicimus, id verissime dici, facile Tibi persuaseris, qui iam praeclare noveris, quae magna tecum semper fuerit amoris officiorumque omnium coniunctio, quantamque hoc postremo adversissimo tempore doloris, angustiarum, aerumnarumque Tuarum partem in Nos ipsos susciperemus.

Nunc vero haec omnia tanto solantur magis, quod hoc ipso egressu Tuo percipiamus, qui Tuus semper animus fuerit erga Religionem atque Ecclesiam, ac erga egregios illos pene omnes Galliarum antistites,

Sardaigne et de l'Italie, dans l'opinion publique, qu'à l'aide de M. de Bouillé le Roi avait franchi les obstacles de Varennes, se livra sur-le-champ aux élans de la joje et de la tendresse, et dépêcha aussi-tôt à Sa Majesté un Nonce extraordinaire avec le Bref ci-joint. *(Not. Edit. an. 1800.)*

quibus summa est, vel per exsilia dispersis, in fide omnique virtute constantia. Quid iam dicemus de immenso bonorum virorum numero, de profuga praeclara illa nobilitate in Te respiciente, pro Teque capita sua devovente? Horum omnium Te in libertatem vindicato, Teque suo recepto rege cumulantur in Nos gaudia; eorum de Te vota, spesque maxima in Nos nunc ipsos redundant. Itaque non potuimus hoc tempore plurimas immortalesque non agere Deo Optimo Maximo gratias, cuius misericordiae accepta referre haec successuum initia debemus, neque non cum Maiestate Tua Nostros animi communicare sensus per hasce plenas laetitiae, studii, gratulationisque litteras ad Te ipsum, a ven. Fratre Bartholomaeo Archiepiscopo Damiatae, Nostro et apostolicae Sedis ad tractum Rheni Ordinario Nuncio perferendas. Dum eas ipse Tibi reddet, et coram impositum a Nobis munus explebit, valde a Te petimus, ut ipsum regia humanitate excipias, eandemque in omnibus praestes fidem, quam Nobis ipsis Te alloquentibus praestiturus esses. Quas Nos Tecum partes peragimus, easdemque, et cum carissima in Christo filia Nostra Maria Antonia regina coniuge Tua, et cum dilectissimo in Christo filio Nostro Ludovico Delfino, ceteraque regia familia luculentiore quo possumus animo exhibemus. Quas nunc preces, obsecrationesque Nostras ad omnipotentem Deum pro Te, carissime in Christo Fili Noster, quae vota, quas lacrimas non effundimus! Imploramus Tibi promptum, pacificum, gloriosumque in regnum reditum, receptam a Te pristinam potestatem Tuam, reductas leges, iuraque omnia restituta. Te illuc religio deducat, cum amplissimo praesulum in suas sedes redeuntium comitatu: Tecum illa regnet in populos, quorum iam contumaciam licentiamque fregerit, volentesque animos ad mores, ad pietatem, ad officia revocarit. Haec sunt assidua ad

Deum pro Te vota Nostra, huc Nostrae cogitationes, studia, curaeque omnes unice conversae, collocataeque sunt. Hoc animo Apostolicam Benedictionem, quae divinarum omnium benedictionum auspicio esse possit, Tuaque omnia consilia atque incepta verae felicitatis exitu prosequatur et cumulet, Tibi carissime in Christo Fili Noster, una cum augusta Coniuge Tua, omnique regia Familia, ex intimo paterno corde amantissime impertimur.

Datum Romae die VI Iulii MDCCXCI, Pontif. Nostri Anno XVII.

XLIII.

DILECTIS FILIIS

RECTORI ET SYNDICO GENERALI
UNIVERSITATIS CADONENSIS

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Accepimus dudum ex Abbate Maury, declarationem Vestram de civico iuramento istic edicto, gravem quidem, piam, ac spirantem omni ex parte doctrinam omnino catholicam. Itaque in tantis quibus undique distrahimur negotiis, non semel eam legimus, sed saepe saepiusque perlegimus, uti ad praesentem temporum rationem accommodatissimam. Summam ergo mirificamque a Nobis et ab hac Petri Sede gratiam Vos iniisse significamus. Cum vero Nos singula legendo delectarint, tum ea longe maxime, quae de retinenda promissorum fide, deque civili iure ab ecclesiastico opportune secernendo, non minus vero quam solido quodam et vivo orationis genere pronunciastis. Elucet enim invicta animi fortitudo, qua Religioni catholicae romanae tot istic per saecula continuatae,

firmissime in posterum Vos ipsos devovetis. Splendet crebra illa et vehementer repetita cultus in Nos Vestri significatio, a qua solum derivando asseritis, quae ex pastorum regimine, et ex gregis obedientia fore credatis (1). Emicat generosus mentis ardor, quo non modo pericula ferre, sed ultro etiam adire, ac plane exposcere pro vestrae professionis dignitate atque gloria videmini; cum illustrem Baiocensem Antistitem, eundemque Cancellarium Vestrum intuentes, omnia Vobis potius perpetienda esse ducitis, quam a recto umquam proposito declinare. Grandia sunt ista, egregia et a Vobis solum Vestrisque similibus exspectanda. Pergite, obsecramus, in tam laudabili incepto, Nostrisque monitis et evulgatis a proxime elapso mense Martio litteris fideliter inhaerete; cum praesertim afflictis ipsius regni rebus insperata auxilia ostenderit Deus (2). Eum enixe rogamus, ut ad salutare magisterium Vestrum probe exsequendum vitam vobis augeat et vires, ac ut mentem Vestram perpetuo spiritus sui luce collustret. Interea Vobis, singulisque sociis Vestris benedictionem apostolicam peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, die IX Iulii MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

PIUS, qui supra.

(1) Legitur alibi: *credatur. (Not. Edit. 1800.)*

(2) Ces ressources inattendues auxquelles Sa Sainteté fait sans doute allusion, c'est l'héroïsme surnaturel et si bien soutenu de l'Episcopat Français, c'est la ferveur des bons Catholiques de toutes les classes, et la sainte violence que leurs prieres semblaient devoir faire à la divine miséricorde, c'est l'amélioration de l'esprit public vers l'époque où le Pape écrivait ce Bref. La révision de l'acte constitutionnel en avait mis la faiblesse à découvert, et rallié les sujets fidèles auprès des vrais principes. Bientôt l'audace des factieux, et la terreur répandue parmis les courtisans et les Parisiens, comprimerent des espérences dans lesquelles il y avait encore quelque chose de trop humain, et réunirent sous le joug de la tyrannie l'autorité Royale et Religieuse. *(Not, Edit. 1800.)*

XLIV.

VENERABILI FRATRI

AUGUSTO

Episcopo Spirensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ea est horum temporum in christianissimum Galliarum regnum per impios homines inducta iniquitas, ut nihil inde, nisi quod maxime lugendum deplorandumque sit, afferatur. Lugemus Nos quidem perturbatissimum illarum Ecclesiarum statum, et episcoporum e suis sedibus expulsorum sortem miserescimus. Dum tamen eorum animi fortitudinem, ac in fide constantiam merito prosequimur apostolicae Sedis praeconio, una etiam paratos Nos exhibemus ad omnia, quae in Nobis sunt iisdem auctoritatis Nostrae praestanda subsidia, quibus dioecesium suarum fidelibus in maximum animorum discrimen adductis subvenire aliqua ex parte valeant. Te ipsum, venerabilis frater, ex tuis litteris die 25 Iunii ad Nos datis in plurimam ex pari causa incidisse sollicitudinem videmus pro ea tui gregis portione, quae in Gallica Alsatia est, tantoque in tua postulata magis permotum inclinatumque sentimus paternum animum Nostrum, quanto magis, et eorum postulatorum aequitatem agnoscimus, et perspectissima Nobis virtute, ac sapientia tua confidere, nitique posse videmur. Quae igitur a Nobis pro illorum, qui tibi commissi sunt, populorum necessitate enixe flagitasti, eadem hoc tempore vel habere rata,

vel concedere tibi nequaquam dubitavimus, prout in adiuncti hisce nostris folii forma, ac tenore Expressum continetur. Deum Optimum Maximum precamur, ut communes curas, laboresque pro sua Ecclesia nostros sublevet ac secundet, quasque effundimus lacrimas in suae gloriae incrementum, Nostramque consolationem per omnipotentem suam misericordiam tandem ipse convertat. Tibique, venerabilis frater, apostolicam benedictionem, caelestium benedictionum auspicem, in Nostrae etiam singularis benevolentiae existimationisque pignus peramanter impertimur.

Datum Romae, die XXVII Iulii MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

XLV.

DILECTIS FILIIS

VICARIIS GENERALIBUS CAPITULI CORISOPITENSIS

Sede Vacante

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ita Nobis notae perspectaeque sunt maximae Ecclesiae Gallicanae calamitates, tantoque pro eisdem intimi doloris sensu afficimur, ut lacrimas et ferventia ad Deum vota effundere numquam intermittamus. Ex quo facile potestis intelligere, dilecti filii, quantopere Nos commoverunt litterae vestrae, in quibus lugubrem Ecclesiae istius statum iam in viduitate constitutae, ac ab illegitimo intrusoque invasore occupatae deplo-

ratis, vestrosque Nobis luctus, ac sollicitudines exponitis; opemque, quantam hisce aerumnosis temporibus a Nobis sperare potestis, exquiritis ac imploratis. Commendamus Nos quidem curas has vestras, atque constantes in tuendo imposito vobis officio animos, ac in tanta rerum perturbatione ad hanc sanctae Sedis petram unice respicientes. Itaque singulari in vos studio excepimus postulata vestra omnia, iisque pro paternae voluntatis in vos propensione, quantum in Domino iudicavimus, ex apostolicae auctoritatis indulgentia satisfacimus. Igitur insertum hisce Nostris accipietis rescriptum, seu decretum, quo facultates a vobis petitas elargimur. Etsi liberales erga vos simus in elargiendis pro dioecesis istius necessitate facultatibus, tamen non tam esse censuimus necessariam sacri chrismatis administrandi concessionem, ac non tam difficulter accidere posse, ut legitimus aliquis episcopus, qui id sacramentum administret, inveniatur. Praeterea concessiones Nostras non iam directe largiti sumus omnibus vobis Vicariis Capitularibus, sed tibi uni, dilecte fili, Ludovice Ioannes Gilart de Larcantel, ita tamen, ut et aliis easdem delegandi fecerimus tibi potestatem, prout in ipsis concessionum foliis expressum intelliges. Nunc vero post indultas facultates veniendum nobis esset ad expositas a vobis in altera epistola vestra dubitationes. Sed cum hae gravissimis obseptae difficultatibus sint, planeque consentiant iis, quae alii Gallicani praesules Nobis dissolvenda proposuerunt, optime videtis necesse esse, ut Nos iam susceptae eorum considerationi non leviter, nec properanter insistamus. Non aegre igitur feretis, si rescriptum differamus Nostrum, donec omnibus rite accurateque perpensis constituamus, prout in Domino visum fuerit, conveniens ac uniforme responsum ad omnes Nostrum, ad quod item vos, omnesque episcopi

in exsequendo conformari valeatis. Deum Optimum Maximum obsecramus, ut mentem nostram in tanta, tamque multiplici deliberatione versantem, sui Spiritus luce perfundat, ac dirigat, ac tandem maximas quibus obruimur aerumnas, per suam misericordiam iis soletur successibus, unde cum suae gloriae incremento sanctissimae religionis nostrae integritas proveniat et confirmetur. Ac in caelestis praesidii auspicium, paternaeque benevolentiae in vos Nostrae pignus, apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae, die XXX Iulii MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

LXVI.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita die 14 Iulii 1791.

Quum ex parte R. D. Ludovici Ioannis Gilard de l'Archantel Vicarii Capitularis, aliorumque Vicariorum dioecesis Corisopitensis expositum fuerit SSmo Domino Nostro Pio Divina Providentia PP. VI, quod cum in hac, quae nunc debacchatur in Gallia, schismatis perfidia Ecclesiae leges et iura, et fides sinceri cultus non modo transgredi, sed palam etiam reprehendi, et oppugnari contingat, quemadmodum Sanctitati Suae iam satis notum et exploratum est; quapropter enixis precibus ab eodem SSmo Domino Nostro plures facultates postularunt in eiusdem praesertim Corisopitensis Ecclesiae viduitate propter obitum legitimi Pastoris, atque occupationem invasoris ac illegitimi, quibus sane facultatibus Christifidelium spiritualibus necessitatibus, et angustiis consuli possit: Sanctitas Sua ad mei infrascripti Sacrae Congregationis de Propaganda Fide

Praefecti relationem dicto Ludovico Ioanni, uti Vicario Capitulari praedicto, sequentes facultates benigne concessit.

1. Absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam contentis in Litteris eiusdem SSmi sub die 13 Aprilis 1791 apud Sanctum Petrum expeditis; nec non pariter dispensandi super irregularitatibus, illa tamen excepta, quae ex homicidio voluntario contrahitur, aliisque praeterea, quae ad forum contentiosum iam deductae, vel proxime deducendae, aut quae ita notoriae sunt, ut nulla tergiversatione celari possint.

2. Promovendi absque concursu per simplicem libellum sola manu eiusdem Vicarii Capitularis subscriptum, Sacerdotes saeculares ad beneficia Curata, quae olim in concursu obtineri solebant, cum contigerit ea vacare vel per obitum, seu per legitimam dimissionem ab eo acceptatam: dummodo praevio examine ad formam Cap. XIII Sess. VII Conc. Trident. *de reform.* idonei reperiantur, et sine praeiudicio Patronorum, quatenus adsint.

3. Dispensandi cum Parochis intrusis, ut habiles ac idonei fiant ad retinendum illud idem Beneficium Curatum, quod iniuste occuparunt, vel aliud quodpiam deinceps vacaturum; si tamen certa, et indubia dederint poenitentiae signa, et *Civicum* iuramentum ab ipsis emissum palam et publice retractaverint. Idque in casu necessitatis tantum, ac salvo iure legitimi Parochi, si fuerit superstes.

4. Dispensandi cum eisdem intrusis super fructibus Bonorum Ecclesiasticorum male perceptis, iniuncta aliqua eleemosyna, et salvo iure interesse habentium.

5. Dispensandi ab irregularitatibus ad omnes etiam Sacros Ordines suscipiendos, excepta tantum Bigamia vera, nec non a defectu aetatis unius anni ad eosdem

Ordines suscipiendos; ac pariter concedendi Litteras dimissionales ante elapsum annum vacationis Ecclesiae, directas ad quascumque Episcopos communionem S. Sedis habentes, cum facultate, ut Ordines praedictos conferre possint extra quatuor Tempora, non servatis Interstitiis, in tribus solemnibus diebus successivis.

6. Applicandi Indulgentias plenarias in articulo mortis iuxta formulam S. M. Benedicti XIV typis impressam.

7. Concedendi licentiam iis Regularibus cuiuscumque Ordinis et Instituti, qui extra Conventum vivere, et regularem habitum dimittere coacti sunt, induendi vestibus saecularibus, Ecclesiastico tamen Viro convenientibus, ac permanendi in eo habitu sub obedientia Vicarii Capitularis, quatenus Superiores Regulares non adsint, aut nulla uti possint in suos Subditos iurisdictione; firma tamen remanente solemnium Votorum obligatione, et donec tantum haec temporum calamitas perduraverit.

8. Gubernandi ac spirituale regimen suscipiendi Monialium, quamvis exemptarum, quae vel expulsae, aut aliter e suis Monasteriis egressae ad suos regulares Superiores recurrere minime possunt; earumque sacramentales confessiones excipiendi, nec non confessarios ad huiusmodi effectum delegandi.

9. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis et religionis.

10. Dispensandi in matrimoniis contractis et contrahendis, super impedimento publicae honestatis iustitiae ex sponsalibus proveniente.

11. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum.

12. Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

13. Dispensandi in tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis, simplici et misto, non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis.

14. Dispensandi etiam in secundo solo simplici et misto, dummodo nullo modo attingat primum gradum tam in contractis, quam in contrahendis non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus pro viginti casibus tantum. Omnes vero dispensationes matrimoniales non concedantur, nisi cum clausula: « dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat. »

In libello autem huiusmodi dispensationum, si publice sit exhibendus, declaretur expresse, illas indulgeri a Vicario Capitulari ex legitima concessa facultate. Ipse autem Vicarius Capitularis (gravissime eius conscientia onerata) omnes et singulas dispensationes matrimoniales a se concessas et concedendas referre teneatur in regesto authentico apud ipsum accurate et occulte servando, usque in diem quo optata Gallicanae Ecclesiae tranquillitas restituatur, cum expressa declaratione, illas fuisse concessas tamquam a Sedis Apostolicae Delegato, et cum inscriptione nominum dispensatorum.

15. Consecrandi calices, patenas et altaria portatilia cum Oleis tamen ab Episcopo benedictis.

16. Celebrandi Missam in quocumque loco decenti etiam sub dio, sub terra, una hora ante auroram, et alia post meridiem, bis in die si necessitas cogat, dummodo Sacerdos in prima Missa non sumpserit ablutionem, et super altari portatili, et sine Sanctorum reliquiis, et praesentibus haereticis, aliisque excommunicatis si aliter celebrari non possit et non sit periculum sacrilegii; dummodo inserviens Missae non sit haereticus vel excommunicatus. Caveat vero ne prae-

dicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti iuxta potestatem inferius apponendam communicare visum fuerit, serio ipsius conscientiae iniungitur, ut paucis dumtaxat iisque maturioris prudentiae ac zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eandem communicet.

17. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos, sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut Infidelibus sit periculum sacrilegii.

18. Dispensandi ab onere suscipiendi Gradum in Sacra Theologia, vel iure Canonico aut Civili, Ecclesiasticos illos qui in Vicarios erigentur.

19. Communicandi has facultates in totum vel in parte, prout opus esse secundum eius conscientiam iudicaverit, Sacerdotibus idoneis tam pro omnibus locis, quam pro aliquibus eiusdem Dioecesis Corisopitensis, et ad tempus sibi benevisum, prout magis in Domino expedire iudicaverit; nec non easdem, quatenus opus fuerit, revocandi sive etiam moderandi, tam circa illorum usum, quam circa loca et tempus easdem exercendi; ita tamen ut nullo pacto liceat eisdem uti extra fines dictae Corisopitensis Dioecesis.

20. Praedictae autem facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur, et quoadusque Sedes Corisopitensis vacaverit, ac donec de legitimo Episcopo ei provideatur et schisma cessaverit, nec non ad beneplacitum et Sanctitatis Suae concessae intelligantur.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. Congregationis die Iulii MDCCXCI.»

L. Card. Antonellus.

XLVII.

VENERABILI FRATRI

IOSEPHO

Episcopo Urgellensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Hisce Nostris inserimus, venerabilis frater, facultates, quas tibi ex apostolica auctoritate impertimur exercendas pro ea tui gregis portione, quae in Gallia est, cuiusque necessitatibus hoc perversissimo tempore, quantum fieri potest, consulendum est, ut qui boni fidelesque sunt, tanto facilius ab illo perfidiae sacramento, ab intrusi pastoris invitamentis, atque a grassante schismate cavere, avertique possint. Eo inclinatiores in tua postulata fuimus, quo perspectiorem habemus pastoralem sollicitudinem tuam, quoque inflammaris studium ad omnes oves, quas in Christi Domini ovili continendas, revocandasque quaecumque in luporum furumque insidias circumventae inciderunt. Deum precamur, ut has curas laboresque tuos optimis muneretur successibus; tibique, venerabilis frater, quaeque universae dioecesi ex intimo corde depromptam apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, die XVII Augusti MDCCXCI, Pontificatus Nostri Anno XVII.

—

XLVIII.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita die 18 Augusti 1791.

Cum per litteras apostolicas in forma Brevis, die quarta Maii proxime praeteriti expeditas a sanctissimo Domino nostro PIO VI, archiepiscopis et episcopis regni Galliarum, nonnulla ecclesiasticae disciplinae capita, quae in tanta illius regni perturbatione servari non possunt, solvere et relaxare, iuxta earundem litterarum tenorem, quatenus urgeat necessitas, et Ecclesiae utilitas id postulet, permissum fuerit, nuper vero iidem archiepiscopi et episcopi iterum Sanctitati Suae supplicaverint, ut ipsis facultas concedatur delegandi simplices presbyteros pro consecrandis altaribus portatilibus, atque oleo ac chrismate benedicto ab episcopo communionem Sedis apostolicae habente, liniendis, Sanctitas Sua, ad mei infrascripti Sacrae Congregationis *de propaganda Fide* Praefecti relationem, omnibus archiepiscopis et episcopis regni Galliarum benigne indulsit facultatem delegandi simplices presbyteros pro consecratione eorundem altarium portatilium oleo tamen ac chrismate ab episcopo benedicto, iuxta rubricas pontificalis romani. Ac praeterea commiseratus infelicissimam hanc temporum in Gallia conditionem benigne etiam indulsit eisdem archiepiscopis atque episcopis facultatem, ut presbyteris bene visis veniam dare possint celebrandi Missam in quocumque loco decenti, etiam sub dio, una hora ante auroram, et alia post meridiem, et in altari portatili, quamvis sine Sanctorum reliquiis, nec non deferendi sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis in loco tamen decenti, ut omne removeatur periculum

indecentiae ac sacrilegii. Has autem facultates ad annum tantum Sanctitas Sua concessit, si tamdiu horum temporum calamitas in Gallia perduraverit; iisdemque minime uti voluit, nisi intra fines dioecesium intra ambitum regni Galliae exsistentium.

Datum Romae ex aedibus dictae sacrae Congregationis die XVIII Augusti MDCCXCI.

L. Cardinalis Antonellus Praefectus.

XLIX.

FACULTATES CONCESSAE

ARCHIEPISCOPIS LUGDUNENSI, PARISIENSI ET VIENNENSI

Atque antiquioribus Episcopis cuiusque Provinciae Regni Galliarum.

Inter funestas, multiplicesque vicissitudines, quae Gallicanis Ecclesiis nuperrime acciderunt, magni profecto faciendae sunt difficultates, quarum aliae enatae iam sunt, aliae enasci poterunt, ob legitimum nonnullarum sive Metropolitanarum, sive Suffraganearum Ecclesiarum regimen, et ob molestias ac iniurias probis Ecclesiasticis viris forte inferendas. Laudabili igitur consilio Gallicani antistites eas omnes difficultates singillatim, et accurate ad romani Pontificis notitiam detulerunt, ut Eius iudicio, et auctoritate definiretur ac statueretur canonica agendi ratio, quae in illis Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque perturbationibus sive praesentibus, sive futuris servari debeat.

Difficultates autem ab episcopis expositae huiusmodi sunt. Ex Conventus Nationalis decreto, dioecesium antiqui limites ita sunt immutati, ut unaquaeque fere dioecesis aliqua sua parte fuerit exspoliata, et no-

tis, rem omnem sedulo accurateque definiret, et opportuniori, qua fieri ratione posset, expositis illarum Ecclesiarum necessitatibus provideret.

Re igitur diligentissime examinata, cum una fuisset omnium Cardinalium concors sententia, Romani Pontificis esse earundem Ecclesiarum incommodis prospicere, necessarias et opportunas facultates iis elargiendo, qui in Domino magis idonei reputarentur, Sanctitas Sua eorundem Cardinalium votum probavit, atque idcirco, ne quid detrimenti caperet salus aeterna fidelium, in praesentibus difficillimis Gallicarum Ecclesiarum circumstantiis, providendum a se esse censuit enarratis Ecclesiarum incommodis, opportuniori qua fieri ratione posset, absque praeiudicio iurium, si quae sunt, respectivarum episcopalium sedium.

Quamvis autem multiplex Sanctitati Suae occurreret consulendi ratio, singularia nihilominus perpendens merita Gallicanorum praesulum, qui ad religionis decus tuendum, civilem cleri constitutionem improbarunt, non privatim modo, sed vulgatis etiam egregiis monumentis, dignis sane, quae aeterna memoria recolantur; merita praeterea perpendens eorum inter Gallicanos praesules, qui quaerentes, non quae sua sunt, sed quae sunt Iesu Christi, nationalibus comitiis, non sine gravi discrimine, usque ad exitum interesse voluerunt; demum rationem habens meritorum, quae sibi compararunt Gallicani praesules, dum promptos paratosque se exhibuerunt Summo Pontifici Ecclesias suas dimittere, si id religionis bonum postularet, Lugdunensi archiepiscopo, archiepiscopo Parisiensi, archiepiscopo Viennensi, et antiquioribus cuiusque provinciae regni Galliarum episcopis delegavit ad annum, ab hac die incipientem, facultates, quae in sequentibus Sanctitatis Suae decretis continentur.

Primo igitur Sanctitas Sua concessit, et concedit ad

annum archiepiscopo Parisiensi facultates omnes necessarias, et opportunas pro immediato spirituali regimine portionis dismembratae a dioecesi Aurelianensi, et ab eius episcopo repudiatae: archiepiscopo autem Lugdunensi confirmat facultates iam ei tributas pro dioecesi Augustodunensi, iuxta litteras Cardinalis *de Zelada* die 2 Aprilis 1791 ad Vicarios dioecesis Augustodunensis (1).

2. Easdem facultates concessit, et concedit ad annum archiepiscopo Lugdunensi pro illa dioecesis Senonensis parte, quae Conventus nationalis decreto divulsa est, et a Metropolita Senonensi repudiata.

3. Easdem facultates concessit, et concedit ad annum Episcopis antiquioribus cuiusque provinciae, qui iuramentum civicum non praestiterunt, si sedem Metropolitanam vacare contigerit, et Capitulum non possit vicarium capitularem eligere; si autem forte contigerit, quod Deus avertat, quemvis alium Metropolitanum, praeter Senonensem, praevaricatorem evadere, ob iuramentum civicum pure et simpliciter emissum, eundemque vel suspendi ab exercitio iurisdictionis, vel excommunicari, curabit eadem Sanctitas Sua opportunis et necessariis facultatibus instruere, quem in Domino magis idoneum reputaverit.

4. Decrevit, a supradictis archiepiscopo Lugdunensi, archiepiscopo Parisiensi, et antiquioribus episcopis cuiusque provinciae regni Galliarum eligi debere Vicarios, qui in locis, de quibus agitur, personaliter resideant, non abdicata tamen ab iisdem praesulibus deputantibus iurisdictione, quam idem Sanctissimus modo eis delegat ad annum.

5. Sanctissimus significavit, se provisurum necessaria sedis apostolicae delegatione, si quatuor illi praesules, qui iuramentum civicum pure, et simpliciter

(1) Vid. pag. 185.

emiserunt, iurisdictionem, quam in suis dioecesibus modo exercent, in posterum amittant propter suspensionem etiam a iurisdictione, vel excommunicationem.

6. Idem Sanctissimus praedictis archiepiscopo Lugdunensi, archiepiscopo Parisiensi, et archiepiscopo Viennensi, et episcopis antiquioribus cuiusque provinciae concessit, et concedit ad annum facultates necessarias, et opportunas ad consulendum Ecclesiasticis, qui civico iureiurando recusant se polluere; quique a praesulibus Senonensi, Augustodunensi, Aurelianensi, Vivariensi iuramento civico obstrictis inique suspendantur, vel a sacris ministeriis excludantur.

Datum Romae ex aedibus Quirinalibus die XXVI. Septembris MDCCXCI.

(L. S.)

F. X. Cardinalis de Zelada.

L.

INSTRUCTIO

IUSSU SS. DOMINI NOSTRI

PII PAPAE VI.

Exarata super quibusdam quaestionibus a Galliarum Episcopis propositis.

Laudabilem Maiorum suorum consuetudinem secuti Antistites, qui modo Gallicanas regunt Ecclesias, ad Sedem apostolicam detulerunt gravissimas quaestiones, pluresque quibus anguntur animi fluctuationes, dubitantes nimirum, quid sibi agendum sit, cum de fidelium Baptismo, Matrimonio et Sepulturis agitur, propterea quod, nisi haec omnia a Parochis intrusis, vel eorum auctoritate exerceantur, a Conventu nationali,

qui parochos dumtaxat intrusos agnoscit et sustinet, fideles vexatum iri prospiciunt.

Has igitur quaestiones Sanctitas Sua in selecta Cardinalium congregatione coram se habita die 18 Augusti 1791, diligentissime examinari voluit, atque auditis singulorum Cardinalium sententiis, sequentem iussit exarari instructionem, in qua descriptis quaestionibus, ut erant ab episcopis propositae, praescriberetur ratio, qua fideles atque parochi uti deberent in baptismo, matrimonio, funeribus et sepulturis.

Prima quae proponitur quaestio, est de *baptismi* administratione, cuius quaestionis difficultas inde oritur, quod, si fideles a parochis legitimis, intruso penitus omisso, baptizentur, omnis ratio deficit, qua eorum natalia in foro civili probentur.

At, quoniam haec eadem difficultas occurrit in aliis quaestionibus, quae sunt de Catholicorum matrimonio et funeribus, considerata primum diligentissime sunt Conventus nationalis decreta. In illis porro observatum est, expressam deesse declarationem, qua fideles, si alium quemvis praeter parochum intrusum adeant, baptismi, matrimonii vel funeris causa, civilis iuris beneficia debeant amittere. Verum, etsi huiusmodi amissio in illis decretis statueretur expresse, non tamen idcirco posset catholicis facultas dari parochos intrusos ad baptismum recipiendum adeundi. Quapropter Sanctitas Sua declaravit, non licere baptismum recipere a parochis intrusis, excepto casu extremae necessitatis, in quo non adesset alius valens baptizare, sed a parochis legitimis, aliisque de eorum consensu aut licentia conferri debere.

Cum enim parochus intrusus schismaticus profecto sit, eiusque schisma evidentissime constet, ex eo fit, ut actio catholici, baptismi recipiendi causa intrusum adeuntis, quacumque ex parte spectetur, vitiosa, mala

et prohibita esse deprehendatur. Nam id esset in divinis cum schismaticis communicare in ipso schismatis crimine, quod certe natura sua malum est, proindeque lege omni divina et naturali vetitum. Quid enim aliud est schismatis crimen ab intruso parocho admissum, quam ministerii parochialis usurpatio suo libitu facta, nulla sui episcopi auctoritate, immo cum illius contemptu et repudiatione coniuncta? Aut quid aliud catholicus efficit ab intruso baptismum accipiens, quam idem cum illo schismatis crimen admittere, cum alter baptismum administrando, alter recipiendo, neuter absque alterius opera crimen animo conceptum possit patrare? Itaque si catholicus hac sua actione cooperetur in schismate, fieri nequit, quin is schismatis crimen ipso suo facto approbet, intrusumque pro legitimo parocho agnoscat et colat. Vere igitur, si catholici id sibi fas esse arbitrarentur, neque boni perstarent in proposito, neque ad officium revocarentur errantes, atque ita gliscenti schismati non obice, sed fomite apposito, Religionis in nobilissimo Galliae regno servandae spes fere nulla reliqua esset. Quibus omnibus rite perpensis, Sanctitas Sua in apostolicis litteris datis die 13 Aprilis vertentis anni, catholicis omnibus, qui sunt in regno Galliae, ita praecipit: *Invasores omnes, sive archiepiscopi, sive episcopi, sive parochi appellentur, ita devitate, ut nihil cum illis sit vobis commune, praesertim in divinis* (1).

Is igitur qui secum animo haec omnia reputet, facile intelliget, non licere catholicis ab intruso baptismum accipere, quamvis ob legitimae probationis defectum, suorum natalium iure carere, aut gravius quodlibet malum pati cogerentur. Nam huius praesertim schismatis qualitati maxime convenit aurea S. Dionysii Alexandrini sententia, qua is scribens ad *Novatum*

(1) Vid. pag. 161,

schismaticum, inquit apud *Eusebium*, Hist. Eccles. l. 8, c. 37: *Oportuerat omnia incommoda pati, potius quam Ecclesiae Dei discidisse concordiam: at illud martyrium quod quis patitur, ne dirimatur Ecclesiae consensio, non minus certe, meo quidem iudicio, sed multo plus habet commendationis, quam illud quod suscipitur, ne idolis immoletur.*

His autem doctrinis positis, haud difficile fuisset statim et breviter praescribere, quaenam agendi ratio in *matrimonio* esset tenenda. Quamvis enim eadem hic difficultas possit occurrere, ut, si fideles a parocho legitimo coniungantur, intruso penitus omisso, eorum matrimonia omni iuris civilis beneficio destituantur, tamen illae eaedem rationes, quae supra explicatae sunt, cum de baptismo ageretur, hic etiam vim habent, et vetant ne fideles a parocho intruso in matrimonium coniungantur. Verum, quia ab episcopis consulentibus propositus fuit unus vel alter modus civiles effectus in matrimonio fidelium adiungendi, necesse fuit horum etiam peculiarem habere rationem. Modi autem propositi huiusmodi sunt, ut catholicus vel veniam petat ab intruso matrimonium celebrandi coram sacerdote a se eligendo, vel ut eidem intruso, aut magistratui civili matrimonium a se contractum declaret.

Adversus tamen eos modos, iidem consulentes plures et quidem graves afferunt difficultates. Aiunt enim incertum esse, an intrusus et civilis magistratus permissuri sint catholicos illis uti modis, incertumque etiam, num ex uno vel altero modo, matrimonia fidelium civiles effectus acquirent.

Sed istis difficultatibus omissis, hae quae religionem tangunt, graviores visae sunt, ut iidem consulentes animadvertebant, proindeque ob oculos considerantius habendae. Si enim catholicus matrimonium a se contractum parocho intruso declaret, vel si matrimonium,

eiusdem impetrata venia, coram sacerdote catholico celebret, videri posset intrusus pro legitimo parocho a fidelibus probari; quod sane fugiendum est.

Sin matrimonium a se iam contractum civili magistratui declaret, videtur catholicus suam fidem eiurare, atque ad heterodoxorum partes transire, ut eorum privilegio frui possit. Nam acatholicis dumtaxat edictum regium mensis Novembris anni 1787 concessit, ut, sua matrimonia civili magistratui si ipsi denunciarent, civilibus effectibus illa gauderent.

Ut igitur ad haec omnia apta daretur norma in matrimonii celebratione servanda, idem Sanctissimus plures regulas ponendas hic iussit, quibus catholicorum matrimoniis firmitas assereretur, nulla iidem schismatis contagione polluerentur, et exteriorem quamcumque haeresis professionem devitarent.

Primo igitur fideles in Galliis debent matrimonio coniungi a suo parocho legitimo, vel alio sacerdote de eius, vel Ordinarii licentia; nam matrimonium aliter celebratum nullam vim haberet, ob celeberrimam Tridentini concilii legem de clandestinis matrimoniis, in illius regni parochiis iampridem promulgatam et constantissime observatam.

2. Quoniam intrusus minime est parochus legitimus, neque ullum habet titulum, seu verum seu coloratum, matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est: qua etiam de causa, fideles abstinere debent, ne, parocho suo legitimo praetermisso, adeant intrusum.

3. Caveant etiam fideles, qui matrimonio iuncti fuerint a parocho legitimo, ne intruso se sistant, ut ab eo, ritu quovis sacro et religioso, rursus matrimonio coniungantur, vel ab eo petant veniam, qua possint ab alio sacerdote matrimonii sacramento coniungi, et sacro ritu copulari. Ne id enim fiat, vetant omnino rationes iam explicatae, cum de baptismo ageretur.

4. Numquam etiam licebit fidelibus declarationem edere matrimonii iam contracti magistratui civili, si forte adstringantur aliam iniquissimam sane declarationem facere, se scilicet haud esse catholicos, quod ne accidat, vereri se dicunt episcopi consulentes eo in loco, ubi de baptismo loquuntur.

5. Sed ne fidelibus quidem permittendum, ut matrimonii iam contracti declarationem coram civili magistratu faciant, si ob istam catholici pro acatholicis habeantur, tum quia edicti verba heterodoxos tantum expresse comprehendunt, tum quia, publica hominum opinione, pro heterodoxis reputantur omnes, qui civili magistratui sua matrimonia declarant.

6. Denique idem Sanctissimus super hac re commendavit episcopis regulas traditas a Benedicto XIV in constitutione *Inter omnigenas* diei 2 Februarii 1744, paragraph. 8, 9 et 10 Bullarii eiusdem Pontificis, et *Redditae* diei 17 Septembris 1746 ad P. Simonem a S. Iosepho Carmelitam Excalceatum missionarium in Belgio, iam editis in supplemento tom. 3 Bullarii eiusdem Pontificis num. 3, et relatis in eius opere de synodo dioecesana lib. VI cap. 7 num. 5. Itemque regulas commendavit, quas iampridem tradidit catholicis anglicanis Paulus V in litteris in forma Brevis datis tam X. Cal. Octobris anni 1606, quam X. Cal. Septembris anni 1607.

De *funeribus et sepulturis* tertio loco actum est, ex quibus etiam aliqua necessitas nasci videbatur intrusum adeundi, communicandique forte cum eo in divinis. Cum enim defunctorum corpora clam inhumare tam grave delictum sit, ut omnes eius participes severis poenis puniantur, omitti nullo modo potest secutae mortis denunciatio, qua semel facta, non posse aiunt intrusum impediri, quominus cadaver domo extrahat, eiusque funus efficiat.

Regulam igitur, qua fideles et maxime pastores hac in re uti debent, hanc futuram esse praescripsit Sanctissimus: Exsequias scilicet defunctorum celebrandas esse a parochis legitimis (si ob praesentes catholicorum angustias aliter fieri non possit), in domibus privatis iuxta Ecclesiae ritum. His vero expletis, tolerandum esse, ut parochi intrusi cadavera a domo exportent et ad Ecclesiam etiam inhumanda deferant; ita tamen, ut fideles catholici nec funus comitentur, nec sacras preces recitent, aliosque ritus Ecclesiae cum illis socialiter agant.

Quaestionum examine perfecto, Sanctitas Sua rationem etiam, uti par erat, haberi voluit causarum, ob quas episcopi postulant, ut a Sede apostolica amplioribus, quam illa in eos solet, instruantur facultatibus, quae huic temporum acerbitati conveniant. Amplioribus enim instructi dispensandi facultatibus, facilius aiunt se posse obtinere, ne fideles ad episcopos intrusos confugiant, qui ad schisma augendum, alliciendosque catholicos, nullum servare solent modum in dispensationibus elargiendis. Cognovit sane idem Sanctissimus, quam aequa esset ea Antistitum petitio. *Sicut enim,* aiente S. Leone M. in epistola ad Rusticum Narbonensem, *quaedam sunt quae nulla possunt ratione convelli* (cuiusmodi est communicationis prohibitio cum intrusis in illis quae antea posita sunt), *ita multa sunt, quae pro necessitate temporum oporteat temperare;* atque huiusmodi sunt priores latae leges, a quibus dispensandi facultas petitur. Facultates igitur etiam illis ampliores, quae Gall. episcopis concedi solent, singulis episcopis petentibus libentissime se daturum dixit idem Sanctissimus, posteaquam peculiares eorum preces perpenderit.

Datum Romae in aedibus Quirin. hac die XXVI. Septembris MDCCXCI. *F. X. Card. de Zelada.*

LI.

ACTA

IN CONSISTORIO SECRETO

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO PAPA VI.

Habito die 26 Septembris 1791

IN PALATIO APOSTOLICO QUIRINALI

Super admissione abdicationis Cardinalatus a Stephano Carolo de Brienne, *et super creatione novi Cardinalis in eius locum.*

Venerabiles Fratres.

Vobis, qui in Nostrae apostolicae sollicitudinis partem vocati estis, VV. FF., plane perspectum exploratumque est, qua Nos mansuetudine, qua charitate usi cum iis simus, qui civilem gallicani cleri Constitutionem aut primum excogitarunt, aut deinceps secuti sunt, inter quos, non sine immenso animi nostri dolore, recensetur dilectus filius noster, *Stephanus Carolus Cardinalis de Lomenie de Brienne.* De ipso multa quidem dicta esse et Nos recordamur, et Vos meminisse potestis, tam cum prospera, quam cum adversa fortuna uteretur. Christianissimi regis gratia praesidioque nixus facile conscendere potuit, evehique ad sublimiores Ecclesiae dignitates. Per regias enim nominationes primum Ecclesiam Condomiensem in Aquitania obtinuit (1), metropolitanam deinde Tolosae in Occitania (2) consecutus est: ac postremo translatus

(1) Acta Consistorii diei 15 Decembris 1760.

(2) Acta Consistorii diei 31 Martii 1763.

ad archiepiscopalem Ecclesiam Senonensem in provincia Campaniae (1). Quos quidem alios aliis potiores dignitatum gradus cui potissimum referre debuit acceptos, quam sanctae huic Sedi, quae et regias probarat nominationes, et semel, iterum, ac tertio per apostolicas litteras canonicam eidem largita erat missionem?

Revera quidem ille ad singulas quasque vices explebat partes suas in praestando obedientiae ac fidelitatis erga Ecclesiam et Apostolicam Sedem sacramento, suorumque memor erga Deum officiorum, quae susceptis erant coniuncta dignitatibus, inter praeclariores numerabatur illius Regni Episcopos, cum plurimo incenderetur studio Religionis Ecclesiaeque ab iis defendendae erroribus, quos tum multa cum laude improbabat, nunc vero contra et fovet, et miserum in modum sectatur, ac profitetur.

In Comitiis Generalibus Cleri Gallicani anno 1762 habitis (2) cum sermonem haberet, egregie illud contendit, ut neque verior, neque fortior esse possit in patriam amor, si vel causae vel effectus inspiciantur, quam cum idem Religionis fundamento innititur (3).

At multo etiam magis illius effulsit ardor animi, cum in Comitiis Generalibus anni 1765 (4), docta sane, nervosaque oratione ostenderet, non minus Reipubli-

(1) Acta Consistorii diei 10 Martii 1788.

(2) Cum esset Condomiensis Episcopus, hisce Comitiis interfuit tamquam Provinciae Burdegalensis Procurator. (Procès Verbal de l'Assemblée Générale extraordinaire du Clergé de France de l'année 1762. pag. 8. §. *La procuration.*)

(3) Cit. Procès Verbal pag. 16. §. *Le Sujet*, §. *Monseigneur.*

(4) Interfuit his Comitiis tamquam Deputatus Tolosanae Provinciae, cuius tunc erat Archiepiscopus, et tamquam Praeses Commissionis super iis quae ad Ecclesiasticam iurisdictionem pertinerent. (Procès Verbal de l'Assemblée Générale du Clergé de France de l'année 1765, continué en 1766, pag. 8. §. *La procuration*, et pag. 28. §. *Pour la Iuridiction.*)

cae, quam Ecclesiae interesse, ut Religio Patrum pura et intemerata servetur (1); quam quidem orationem Rhemensis Archiepiscopus Comitiorum praeses communi nomine dignam esse declaravit, quae eximiis laudibus ornaretur (2).

Hinc strenue oppugnandos suscepit errores, qui Galliarum Regno imminebant, ac primo invehi coepit in impios libros, per quos Religionis fundamenta convelluntur, nec minor Ecclesiae, quam Imperiis infertur pernicies (3); adeoque auctor fuit, ut libri huius generis omnes, atque ii praecipue cum plurima detestatione damnarentur, qui ceteros impietate antecellerent, commemorato imprimis opere *De Contractu Sociali* (4). Auctor item fuit, ut scripto in vulgus edito edocerentur populi, quot pericula, quot damna ex cogitandi libertate manarent (5), utque confugeretur ad Regem tum Religionis, tum sua ipsius causa, quo is adeo effrenatam licentiam compesceret (6).

Subinde non minori ardore loquutus est adversus Parlamentorum, laicorumque tribunalium conatus, obtestatus scilicet, *non posse se dissimulare, quae a Parlamentis proponebantur, ea multo graviores, atque atrociores aerumnas importatura* (7). Addidit praeterea Parlamentorum consilia eo spectare, ut omne Ecclesiasticorum inter se abrumperetur vinculum, prohibita Episcopis quacumque cum Iesu Christi Vicario,

(1) Cit. Procès Verbal Séance III. pag. 21. §. *Après cette Cérémonie.*

(2) Séance V. pag. 86. §. *Monseigneur.*

(3) Séance XX. pag. 67. et 68. artic. 1. §. *Nous commençons* et §. *Mais ces.*

(4) Cit. pag. 68. §. *Ce sont.*

(5) Pag. 69. §. *Si vous.*

(6) Pag. 70. §. *Si vous.*

(7) Cit. Procès, artic. 8. pag. 71 et 72. §. *Les atteintes.*

Ecclesiae Capite, et Centro unitatis communicatione (1); hortatusque est, ut de ea re graviores ad Regem expostulationes deferrentur (2).

At prae ceteris censuit Pastoralem edendam esse Instructionem, quae fundamenta ipsa edoceret, planeque detegeret, quibus Ecclesiae nititur auctoritas, nulli scilicet alii auctoritati obnoxia, cuique fideles omnes subiici, ac parere tenentur (3); declaravitque, agi hic de Fidei elementis explicandis, de Dogmate super Ecclesiae auctoritate muniendo, deque iurisdictionis ecclesiasticae momentis, quae nullo temporum cursu possunt immutari (4). Nec etiam dissimulavit, Constitutionem *Unigenitus* tamquam iudicium dogmaticum habendam esse (5), atque idcirco per Dioeceses omnes vulgari oportere affirmabat Encyclicas Benedicti XIV die 16 Octobris 1756 datas, facto, officii causa, eius rei certiore Rege: *Minime enim*, dicebat, *indigetis regia auctoritate ad evulgandam, tamquam regulam, S. Apostolicae Sedis responsionem in re mere spirituali* (6).

Haec, quae a Tolosano tum proponebantur, post maturum in Comitiis habitum examen, unanimi fuerunt consensione comprobata (7). Proinde Archiepiscopus una cum suae Commissionis sociis manus operi admovit, perscriptis diligenter Commentariis Regi exhibendis (8), et uno volumine in tres partes diviso com-

(1) Cit. pag. 72. §. *Vous n'hésiterez.*
(2) Pag. 73. §. *Nous avons.*
(3) Pag. 74. §. *Cette Instruction.*
(4) Cit. pag. 74. §. *Cette Instruction doit.*
(5) Art. 5. pag. 75. §. *La Constitution.*
(6) Pag. 77. §. *Cette publication.*
(7) Séance XXV. pag. 94. §. *La déliberation.*
(8) Séance XL. pag. 124 et 125. §. *Nous* et seq. et pag. 127 et 128, ubi legitur: *Mémoire au Roi.*

prehensis Comitiorum Actis, quae populos Ecclesiae iura edocerent (1).

Longum nimis operosumque esset hoc loco praeclaros omnes referre sensus, quibus Commentaria, et Acta redundant (2). Satis enim est, ut affirmemus, quae antea *Lomenius* in Comitiis protulerat, eadem fuisse et omnium Episcoporum, et ad Comitia Deputatorum iudicio probata et subscripta (3). Ac tum frustra saecularis Magistratus suo fuit Decreto conatus Acta istaec supprimere, et ne publicis typis prodirent, interdicere. Contra enim statutum a Comitiis fuit, ut ad Regem confugeretur, quo Decretum illud rescinderet, et Tolosano Archiepiscopo mandatum, ut supplicem libellum perscriberet, eoque in Comitiis perlecto (4), idem ipse auctor dignus est habitus, qui illum Regi exhiberet (5): ac tum ille in exhibendo Regi ipsi copioso et gravi comprobavit sermone, *in Catholico Regno libertatem docendi partem esse iuris publici* (6); *causam Dei, esse Regum causam, et ea, quae Ecclesiae auctoritati perniciem intentant, Imperiis itidem excidium denunciare* (7). Quocirca minime dubitavit Rex Decretum Parlamenti rescindere (8); Comitia vero statuerunt ad Archiepiscopi gloriam, ut eiusdem sermo in sua Acta relatus esset (9).

(1) Séance CIV. pag. 196, et seq. §. *Nous* cum seq.

(2) Consuli possunt Acta Cleri loc. cit. pag. 199. §. *Tel est* §. *L'histoire*, pag. 202. §. *Une multitude*. §. *C'est*, usque ad p. 210 §. *Les droits*, et rursus a pag. 212. §. *S'il n'est*, et seq. usque ad pag. 219. §. *C'est*, pag. 198. §. *La matiere*, et pag. 219. et 220.

(3) Séance CIX. pag. 234. §. *Cette*.

(4) Séance CXIX. pag. 310. §. *Vous êtes*, et seq.

(5) Séance CXX. pag. 312. §. *Nous*, et seq.

(6) Séance CXXIII. pag. 319. §. *Monseigneur*.

(7) Séance CXXIV. pag. 321. et 322. §. *Messeigneurs*, pag. 324. §. *Nous avons*, pag. 326. §. *C'est*.

(8) Séance CXXXV. pag. 352. *Lettre du Roi*.

(9) Séance CXXV. pag. 322. §. *Monseigneur*.

Novo etiam Regii Consilii conatui Archiepiscopus Tolosanus intercessit, quo Parochum Dioecesis Viennensis ad Parochiam quandam administrandam vocaverat, contra sui Archiepiscopi voluntatem (1). Obstitit igitur, luculenterque declaravit, ex hisce laicae potestatis conatibus acerbiora mala proficisci, inductis *absque missione ministris, et absque iurisdictione Pastoribus;* proinde Parochos *intrusos facturos esse actus irritos, et quaecumque ii munera obirent, nonnisi totidem profanationes futuras* (2).

Partem quoque habuit Tolosanus in eo Commentario, quod Comitiorum nomine exhibitum est Regi circa Protestantes (3), qui coeperant publicis muneribus fungi adversus Leges, ac Regis Declarationes non sine maximo Religionis, et Reipublicae detrimento. *Per plures enim Dioeceses altaria videbantur extolli adversus altaria, et pestilentiae Cathedrae adversus Cathedram Veritatis* (4). *Si Lex* (Commentarii verba ad Regem sunt), *quae Edictum Nannetense rescidit, si Tua anni 1724 Declaratio viguisset, iam per Gallias Calviniani exsisterent nulli* (5). *Funestam esse eorum hominum tolerantiam, qui cum se Catholicos dicant, sub tali clypeo latitare se posse, Ecclesiaeque exprobrationem vitare existimant* (6). *Per humanitatis, et benevolentiae speciem diffundi ab iis rebellionis et anarchiae semina* (7). *Ipsos Gallicae Nationi insitos mores, et ipsas, quas Tolerantiae auctores praetexunt, falsitates, satis aperte arguere, quam longissi-*

(1) Séance CXVII. pag. 298. et seq. §. *Le Sieur Joseph*, et seq.
(2) Pag. 300. §. *L'éxécution.*
(3) Séance CLIII. pag. 481. et seq. *Mémoire au Roi* etc.
(4) Loc. cit. pag. 482. §. *Oui.*
(5) Pag. 483. §. *Pour remédier.*
(6) Cit. pag. 483. §. *Mais.*
(7) Cit. pag. 483. et 484. §. *Votre.*

me ea distet a vero Politices et Religionis bono (1). *Hanc infelicem aetatem irreligiosis abundare hominibus, quibus nil prius est quam sanctum ministerium deprimere, et prorsus evertere* (2).

Probe tandem Archiepiscopus Tolosanus agnoscens, irritas esse Episcoporum Ultraiectensium electiones, illicitasque ac sacrilegas consecrationes eorundem (3), auctor fuit, ut unanimi Comitiorum suffragio condemnarentur Acta Synodi Ultraiectensis iam a S. Sede damnata, in qua Synodo Canonici, et Parochi se gesserant ut Episcopis pares, et instar Episcoporum, tamquam fidei iudices (4). Hanc enim condemnationem aiebat *perpetuam testem futuram de Galliarum Episcoporum obsequio ac studio erga Apostolicam Sedem, deque eorundem indignatione adversus opus schismaticae Ecclesiae, quae ad Catholicam Ecclesiam se spectare contendit absque eo, quod ipsius Decretis obtemperet, seque cum Petri Cathedra communionem putat servare, dum omnia unitatis, et Ecclesiasticae Hierarchiae vincula dissolvit, ac abrumpit* (5).

Haud dissimiles fuerunt *Lomenii* sensus in Comitiis Generalibus Cleri anni 1770, ubi denuo contra pravos libros sermonem instituit (6), et ubi rursus oppugnandos suscepit Parlamentorum conatus, non modo ius sibi arrogantium concedendae Ecclesiasticis facultatis, ut illis institutionem canonicam conferrent, quibus fuerat a legitimis Pastoribus antea denegata (7), sed

(1) Pag. 484. §. *Nous.*

(2) Pag. 485. §. *Le Clergé.*

(3) Séance CCXXIII. du 25 Juin 1766. pag. 857. §. *Ce fut.*

(4) Pag. 860. §. *La troisième,* et seq.

(5) Cit. pag. 860, et 861. §. *A peine.*

(6) Procès Verbal de l'Assemblée Générale du Clergé de France de l'année 1770. Séance XL. pag. 112. et seq. §. *Toutes* cum seq.

(7) Cit. Procès Verbal Séance LXV. pag. 145. et seq. §. *Trois* cum seq., et Séance CXX. pag. 225. §. *Monseigneur l'Archevêque de Toulouse.*

etiam in causis solemnium Votorum immiscere se audentium (1). Nec minus acriter adversus Ordinationem invectus est ab Episcopo Bethlemensi factam in Dioecesi Antissiodorensi, absque proprii ac legitimi Episcopi venia (2); et cum esset denique aliis Collegis adiunctus, novam super incredulitate lucubrationem per Gallias edendam curavit (3).

Laudabiles demum ipsius sensus fuerunt in Comitiis anni 1772, ubi Comitiorum ipsorum nomine, orationem habuit ad Regem, in qua demonstravit, quanta cura esse debeat Clero ea bona conservare, ad se ipsum alendum ac sustentandum consecrata, ut possit indigentiae quoque populorum occurrere (4); Regemque praemonitum voluit de consilio, *quod militia quaedam spectabilis quidem, sed extranea ab Ecclesia* (5) *suscipere umquam attentasset iure quodam suo ista bona occupandi* (6). Commemoravit quoque Regi, *in eius Ditione Religionis robur, ac nervos imminui, et ex eiusdem debilitate paulatim ac sensim corruptionem morum, opinionum pravitatem, omniumque Imperii vinculorum relaxationem induci* (7). His autem praeiectis petiit, ut Regia auctoritate muniretur Religio; Religionem enim aiebat esse *firmissimum Imperiorum fundamentum, et arctissimum veluti nexum, quo populi obedientes suo Principi colligantur* (8).

Ab hac egregia sentiendi semita divertere coepit *Lomenius*, ubi Regia favente Aula ad Sedem Archiepiscopalem Senonensem translatus honores saeculi ad-

(1) Séance CLXVIII. pag. 623. §. *Nous.*
(2) Séance CLXIII. pag. 598. §. *Monseigneur.*
(3) Séance CXLVII. pag. 483. et seq. §. *Nous* cum seq.
(4) Procès Verbal de l'année 1772. Séance V. p. 84. §. *Lorsque.*
(5) Scilicet Parlamenta.
(6) Loc. cit. pag. 85. §. *Mais si.*
(7) Cit. pag. 85. §. *Il est.*
(8) Cit. pag. 85. §. *Nous*, et seq.

iunxit ad Ecclesiæ dignitates. Vix enim ipse accitus fuit a Rege ad primarii ministri munus obeundum, licet a Nobis fuisset admonitus, ut a conatibus heterodoxorum caveret (1), factum tamen est paulo post, ut *Nannetense Edictum* de heterodoxis tolerandis redintegraretur; Edictum plane exitiosum, ac pestilens, ex quo praecipue ea damna manarunt, quae nunc Religionem, et Regnum dilacerant, ac evertunt, merito propterea per apostolicam Sedem a suo usque initio reprobatum (2), quodque proprio testimonio *Lomenius* ipse, et universus Galliarum clerus erat detestatus (3). Nos illico expostulationes ea de re Nostras deferendas curavimus per ven. fratrem *Antonium* Archiepiscopum Rhodiensem nuncium Nostrum, idemque praestiterunt religiosi per Gallias episcopi (4). Sed et Nostrae, et illorum querelae in irritum ceciderunt (5).

Praeterea idem *Lomenius* occulte viam sibi communivit ad alia peragenda, quae postea detecta, et eo, quo ipse spectabat, perducta, immensum religioni et regno detrimentum intulerunt. Sperabat fortasse consecuturos inde hominum de se plausus: at divino plane consilio plerumque fieri solet, ut vanae ac fallaces politices humanae spes concidant: praeconiorum enim colligendorum loco incidit ipse in accusationes, obtrectationesque publicas, et in omnium odia, ita ut Rex ipse illum ab se fuerit coactus dimittere.

(1) Litterae in forma Brevis die 14 Iulii 1787.

(2) Constit. Clementis VIII. die 20. Augusti 1599. quae incipit *Dives in Misericordia* in Bullar. Rom. Mainard. num. 202. tom.V. part. II. pag. 255. et seq. et Spondanus in Continuat. Annal. Card. Baron. anno 1599. §. 10.

(3) Cit. Procès Verbal de l'année 1765. Séance CLIII. pag. 481. et seq. in *Mémoire au Roi, concernant les entreprises des Religionnaires*, et praesertim §. *Pour rémedier*, pag. 483.

(4) *Parisiensis* nempe, *Bellovacensis*, aliique.

(5) Litterae Apostolici Nuntii diei 18. Octobris 1788.

Tunc *Lomenius* consilium cepit id sua sponte abiiciendi, quod diutius retinere se non posse agnoscebat, ideoque apud Regem ipsum suo, quo fungebatur, munere sese abdicavit. Sed nomen suum dedecori, suumque caput periculis obiecturum se ratus, nisi illi, quo exutus esset ministerio, alia dignitas sufficeretur, enixis precibus apud regem suorum consiliorum ignarum institit, ut Cardinalitiam a Nobis sibi dignitatem impetraret.

Sagax quidem et callida fuit illius abdicatio, ac aeque provida fuga, qua se ab Urbe Lutetia et a Galliarum Regno proripuit, in tuto exspectaturus, donec regis opera cardinalatus honorem consequeretur. Difficile profecto dictu est, quo studio rex Christianissimus iterum iterumque flagitarit a nobis cardinalitiam pro illo dignitatem, a qua tribuenda eramus certe animo alieno. Sed repetitis tandem expugnati precibus filii Ecclesiae primogeniti, cuius meritorum habendam semper duximus rationem, et ea spe freti, ut Archiepiscopus Senonensis Nostra manu ab impendentibus aerumnis ereptus cum esset, tum delati officii munere, tum grati animi causa, se ad pristinos suos sensus revocaret, eundem in Consistorio diei 15. Decembris 1788 in vestrum collegium cooptavimus. Novus spei Nostrae cumulus accessit, ubi *Lomenium* in urbe Niciensi certiorem factum de dignitate Cardinalitia sibi collata exhibuisse Nobis agnovimus locupletissimas de obedientia, deque studio in Nos suo significationes, affirmantem per litteras, *se Nobis et coniunctissimum, et obsequentissimum esse, seque magno, et constanti ardore flagrare Religionem et Apostolicam Sedem tuendi, sibique in votis maxime esse, ut opportunitates habere posset, quibus ostenderet, hosce grati animi sui sensus et germanos esse, et plurima cum observantia coniunctos* (1).

(1) Litterae diei 21. Decembris 1788.

At a spe Nostra omni, in quam non sine ratione induci videbamur, cito decidimus, simulque egregiae illae declarationes in irritum abierunt. Vix enim Cardinalis exsul atque extorris a solo patrio inchoatam crescentemque vidit Gallicani conventus opera illam rerum conversionem, quam Nobiscum ignorabant omnes per eum ipsum Ministerii sui tempore, designatam et paratam fuisse, nulla mora interposita se contulit ad Ecclesiam suam cathedralem Senonensem, ibique mense Martio anni 1790 veritus minime est sermonem coram omnibus habere, et novam rerum immutationem plurima laude cumulare eo usque, ut eidem condendae se aliis incitamento fuisse gloriatus sit (1), violatis uno eodemque tempore, atque pessumdatis sacramentis fidelitatis pluries per eum praestitis Ecclesiae, et Apostolicae Sedi, ac etiam Regi erga ipsum beneficentissimo (2).

Haud ita certe locutus est, cum die 25 Novembris 1790 tamquam archiepiscopus, et Cardinalis alias suas ad Nos daret Litteras, quibus hoc vinculo *Romanae Sedi, successori divi Petri, ac Nobis singillatim devinctissimum se esse,* ficte certe ac subdole profitebatur (3). Praeterito enim per silentium sermone abs se habito post reditum ad suam Ecclesiam, non dissimulavit, *per civilem cleri constitutionem ad schisma et ad Presbyterianismum aditum patefieri* (4).

Transgressus subinde est ad graphice describenda *haec acerbissima Ecclesiae Gallicanae tempora* (5), declarans aperte *patrum religionem a regno exsulare. Si qualis erat,* inquiebat ille, *apud proavos religio,*

(1) Litterae Nuntii diei 7. Februarii 1791.
(2) Gallia Christiana tom. XIII. pag. 73. et seq.
(3) §. *Et quidem.*
(4) §. *Non anteire.*
(5) §. *Perfunctus.*

*

staret adhuc, atque floreret, sperari posset. At quantum in peius mutatae rerum vices (1)! Nec est veritus eorum, qui in Galliis degunt, conditionem, cum illorum conditione comparare, qui apud Infideles commorantur (2). Descripsit quoque violentiam altarium ministris illatam (3), non eo quidem animo tantis excidiis obicem opponendi, veluti archiepiscopum et cardinalem decuisset, sed animo tegendi consilium ab se susceptum de tempori caute serviendo (4): consilium profecto numquam apud Patres receptum, sed antea ab ipso Lomenio, et a Galliarum clero nota praevaricationis inustum (5).

Hinc componere se posse ratus Evangelium cum nova constitutione, veritatem scilicet cum mendacio, sperni minime oportere affirmabat *certam quandam moderationis, ut ita dicam, oeconomiam, ne maior in clerum calamitas derivetur. Quandoquidem conventus hic nationalis ad exitum perduci decreta sua, quaecumque accidant, omnino volet, et nihil, opinor, intentatum relinquet* (6); adeoque asserebat indulgentia prorsus utendum, cum deteriora timeri mala exspectarique possent a constitutionis auctoribus, quos interim ipse compellare non dubitavit Evangelii perduelles. Audite, VV. FF., ipsius audite maximi momenti Declarationem: *Hac nostra tempestate, ac luctuosa Ecclesiae Gallicanae conditione, id officium negligi posse non crediderim, quin Evangelii perduelles in Religionem insultent audacius, quin concutiatur pio-*

(1) §. *Quid primum.*

(2) Cit. §. *Non anteire.*

(3) §. *Quod si*, et §. *Quid primum.*

(4) Standum est igitur, et difficillimo huic tempori caute serviendum. §. *Quid aget.*

(5) Actes de l'Assemblée du Clergé sur la Religion, part. II, §. *L'abus*, in Procès Verbal an. 1765. pag. 206. et 207.

(6) §. *Quod si.*

rum fides, quin catholicum dogma (nam ericulum, quantumcumque est, dolens indigitabo), quin catholicum dogma in schisma fortasse, ac presbyterianismum feratur praeceps (1).

Improbum hinc patefecit Nobis consilium, illa nempe exsequendi capita Constitutionis Nationalis, quae decernunt novam divisionem, suppressionemque Dioecesium, electionemque a populo faciendam Parochorum, suffragantibus etiam Iudaeis, Mahometanis, Calvinistis, ac cuiusque proscriptae sectae hominibus in multis Dioecesibus numero longe praevalentibus (2): ac interim in ancipiti reliquit, quo se modo gereret super nova seminariorum disciplina, et super iis Decretis, quae Episcoporum imminuunt potestatem (3). Declaravit tamen se numquam exsecuturum decreta, quae ad suum spectant cum apostolica hac Sede vinculum. Nos enim ita est ementitis verbis allocutus: *Quisquis tandem rerum erit exitus, profecto ita de me sentiat Sanctitas Vestra, nulla umquam ratione, nullo metu ab eo erga se ipsum fidissimo amore divellendum* (4).

At novam adiungens machinationem significavit, se non posse Nostram responsionem exspectare, sequentibus verbis: *Si protrahere fas fuisset, Sanctissime Pater, quidquid apud Nos actu opus est, usque dum a S. Sede responsum esset, id sane beatissimum duxissem: sed quam isto loco res non se habent! Nam promulgatis de futura cleri conditione Gallicorum Comitiorum decretis urgemur acerrime* (5).

Itaque videntes *Lomenium* responsionem Nostram

(1) Cit. §. *Non anteire.*
(2) Cit. §. *Non anteire*, §. *Ex iis autem*, et §. *Silere.*
(3) §. *Praetermiserim.*
(4) Cit. §. *Praetermiserim.*
(5) §. *Quod si.*

minime exspectaturum, deliberavimus opus non intercipere super singulis civilis cleri constitutionis articulis, ab episcopis Galliarum expetitum, quod cum fuisset absolutum, etiam cum *Lomenio* esse commune potuisset. Sed *Lomenius* nova ad Nos Epistola (1) retulit ea, quae inter superiorum Litterarum intervallum ipse peregerat, nec erubuit fateri, tempori fuisse serviendum, postquam sedulo perpendisset *causas omnium rerum, quas pro Lege acerbissimi huius temporis actu necessarias, atque ineluctabiles esse* arbitrabatur (2); contemptoque exemplo omnium fere Galliae Episcoporum, atque abiecta doctrina, quam prius intrepide asseruerat in conventibus cleri (3), novum presbyterium in Ecclesia Cathedrali constituere decrevit, regimen alienarum Dioecesium, quae per Decreta in suam transfusae erant, sibi arrogavit, et pure ac simpliciter, et in tota contextus amplitudine sacramentum dixit a Nationali Conventu propositum, nec veritus est nonnullas exponere Declarationes, videlicet: *Animadvertet Vestra sanctitas, non pro assensu animi habendum esse sacramentum huiusmodi, nec per-tinere ad ea decreta, quae summa vi elicita sunt, eoque meram exposcunt patientiam* (4). Possunt ne graviora crimina, cum in rebus ab eo gestis, tum in ipsis eiusdem declarationibus componi?

Erravit ergo deliberato animo *Lomenius* serviendo tempori, schismatique favendo, quod verbis evitare se velle effingebat. Noverat irritas esse novorum Episcopatuum erectiones (5), impias episcoporum a suis

(1) 31. Ianuarii 1791.

(2) §. *Persequi.*

(3) §. *Fateor*, et Actes de l'Assemblée etc. Part II. §. *L'abus*, in Procès Verbal an. 1765, pag. 207.

(4) §. *Perfacile.*

(5) Procès Verbal de l'année 1765. Séance CCXIII, pag. 857. §. *Ce fut*, et pag. 861. §. *Nous avons.*

sedibus expulsiones, ob solam recusationem emittendi civicum iusiurandum (1), sacrilegas novorum Episcoporum consecrationes, sibique gloriandum esse videbatur ob reiectam institutionem Parochi *de Gomécourt*, electi episcopi Versaliensis (2). Sed adhuc se dubium incertumque esse declaravit, si acrius urgeretur pro impetranda institutione, non obscure significans se, *ne sacram purpuram iniuriis obiiceret, tandem aliquando cessurum* (3); etiamsi fateri coactus fuerit, sententiam suam a multis mollioris animi reputari (4).

Dici vix potest quanta *Lomenius* hoc exemplo intulerit damna dioecesi suae, ut constat ex litteris procuratoris communitatis Senonensis (5), quibus ita certior fit praeses conventus gallicani: *Haud latere Te omnino debere puto, dominica die cardinalem Episcopum Senonensem sacramentum dixisse a lege praescriptum, et in hac civitate esse omnino neminem, qui novae adversetur constitutioni.*

Exemplo voces adiunxit mollissimi animi sensus praeferentes: nam adveniente quadragesimali tempore pastoralem evulgavit epistolam (6), qua commentitiam quandam charitatem prae se ferens, excusare conatus est praestitum a se iusiurandum, perinde ac si minime illud suis ipsius sententiis adversaretur, quas in Comitiis anni 1765 exposuerat; eoque etiam devenit, ut populos hortaretur ad amplectendam exsequendamque constitutionem, quae pro fundamento habebat libertatem cogitandi in rebus etiam religiosis,

(1) Cit. Epist. §. *Dum vero.*
(2) §. *Itidem.*
(3) §. *Sed enim.*
(4) §. *Hanc vero.*
(5) 1. Februarii 1791.
(6) Die 16. Februarii 1791.

aliosque continebat perniciosos errores *socialis contractus*, quos ipse cardinalis ac clerus fuerat exsecratus (1).

Tot tantasque pravitatum eius accessiones cum conspiceremus, planeque existimaremus peccatum publicum esse publice a Nobis corripiendum iuxta Apostoli praeceptum (2), ut et Pastor qui peccavit, et grex qui in errorem inductus est, revocaretur in viam, nulla interiecta mora, non omisimus Nostras perscribere et evulgare litteras (3), quibus *Lomenium* admonebamus, quantum dedecus, atque iniuriam cardinalitiae, et archiepiscopali dignitati importarit emittendo civicum sacramentum, illudque exsequendo, neque dissimulavimus flagitiosas ab eo editas declarationes, aperteque etiam exposuimus illusoriam illam esse, quam asseruerat necessitatem, ob quam tamen, etsi talis qualem ipse asserebat, exsisteret, nullo modo posset solutus esse a vinculis, quibus Deo ecclesiaeque obstringitur, immo paratum se omnino exhibere deberet ad quamcumque huius saeculi aerumnam perferendam.

Demum hortari non destitimus, ut civicum sacramentum eiuraret, comminantes canonicas poenas, ad quas manus admovere cogeremur, illum cardinalitia etiam dignitate exsuendo, nisi tempestiva satisfactione publicam offensionem reparasset. Eam clausimus epistolam hac paterna obsecratione: *Te maiorem in modum iterum atque iterum hortamur, rogamus, ac obtestamur, ut a recta nusquam deflectens via, sacris*

(1) Cit. Procès Verbal de l'année 1765. Séance XX. pag. 68. §. *Ce sont*, et pag. 69. §. *Si vous*, et Procès Verbal de l'année 1770. Séance XL. pag. 112. et seq. §. *Toutes* cum seq.

(2) S. Paulus ad Timoth. Epist. I, cap. V, vers. 20. Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. VIII.

(3) Diei 23. Februarii 1791. Vid. Num. XIX. pag. 55.

catholicae Ecclesiae regulis constanter insistas, maximeque episcopali pectore, prout debes, contendas, quantum in Te est, ut omnis obstruatur novitati, schismati, atque errori aditus, utque hoc periculosissimo tempore duci Te unice regique sinas a divino consilii, fortitudinis, ac patientiae spiritu (1).

Praeterea certiorem tunc reddidimus regem eorum quae a *Lomenio* in illis erant scripta litteris, et adiunximus exemplum Nostrae illius responsionis: quod ea mente faciendum duximus, ut qui regia commendatione cardinalatus dignitate fuerat decoratus, eundem sua rex ipse auctoritate ad officium, ac salutis viam reduceret; secus coactos fore Nos ad comminatas poenas devenire (2).

Sed haec omnia exitu, quem spectabamus, plane caruerunt. Nam *Lomenius* obfirmato quo erat animo suos non iam detestandi, sed propugnandi errores, suscipere non aliud consilium voluit, quam ipsum ultro cardinalatum dimittendi eo plane modo, quo antea primarii ministri munus abiecerat; cum se ipse nimirum in eum coniecisset statum, ut illo amplius se fungi non posse cognosceret.

Hinc per Epistolam die 26 Mensis Martii ad Nos ex urbe Senonensi datam, plenam commentis et simulationibus, clare tamen expresseque dimittit ac renunciat Nobis cardinalitiam dignitatem. Ac eo se redactum fuisse scripsit, ut vel civili potestati deesse deberet, vel cardinalatum deponere, quo ipso, quantum in se est, plurimam non dubitavit conflare invidiam illi iuriiurando, quo Cardinales S. R. E. obstringuntur (3). At non iam hic agebatur de expositis ab ipso conflictisque dubitationis causis, sed quaenam praefe-

(1) Cit. Epist. pag. 61.
(2) Litterae die 10 Martii 1791. Vid. n. XXI. p. 128.
(3) S. *Quand votre*, et S. *Placé*.

renda ipsi esset, Dei ne, an hominum auctoritas; religio ne, an apostasia; tamquam e collegio vestro egressus, minus apostata ac refractarius esset, qui contemptis Dei et Ecclesiae legibus sequi non expavescit ac fovere constitutionis errores. Notum vero est, sacramentum a cardinalibus praestari solitum, esse sacramento simillimum, quod ab omnibus praestatur catholici orbis Episcopis, quodque adigens iurantem ad fidem sancte religioseque servandam Ecclesiae et apostolicae Sedi, et ad religionem tuendam, eum insimul patriae, et legitimae imperantium auctoritati fideliorem reddit, cum nullum Religione sit firmius patriae et imperiorum columen ac fundamentum (1).

Simulavit etiam se iniuria affectum esse, eo scilicet quod ex canonum instituto de publico errore publice fuisset admonitus (2), et eo quod reprehensus esset ob iusiurandum, non animo, ut ait, sed voce tantummodo praestitum (3), quod tamen iusiurandum iis emissum est ab ipso, tamque claris manifestisque verbis, quae interpretatione nulla indigerent.

Simulavit quoque distinctionem inter obedientiam et approbationem, perinde ac si sacramento promisisset obedientiam, non autem approbationem praestitisset (4). Qua distinctione nil excogitari potest deterius; etenim ubi de religione agitur, in iis, quae probari non possunt, obedire non licet (5), quoniam oportet obedire

(1) Id Cardinalis ipse confessus est in Comitiis anni 1762. Procès Verbal etc. Séance III. pag. 16. §. *Le Sujet* et seq.

(2) §. *J'ai prié*, et §. *Je devrais*.

(3) Cit. §. *Placé*.

(4) Cit. §. *Placé*.

(5) Id cognovit, propugnavitque Lomenius ipse. Actes de l'Assemblée etc. part. II. §. *L'abus*, §. *Le droit*, et §. *Puisque* in Procès Verbal ann. 1765. pag. 206, 207, 210, 211 et 216.

magis Deo, quam hominibus (1). Nec satis est corde solum credere ad iustitiam, sed opus est ut etiam ore confessio fiat ad salutem (2).

Simulavit iusuper nihil se in constitutione universa deprehendere, quod fidei adversaretur, quodque cum sua conscientia pugnaret (3); idque ea praesertim de causa effinxit, ut contradictionem evitaret inter iurisdictionis ecclesiasticae principia ab se exposita in pluribus conventibus cleri gallicani, et decreta constitutionis suo iureiurando recepta (4). Sed qua ratione id simulare potuerit, nemo intelliget, postquam idem *Lomenius* in litteris ad Nos scriptis post eius defectionem, superius commemoratis, fassus dilucide est, ex constitutione schisma atque presbyterianismum induci, eiusque actores esse Evangelii perduelles. Perlegat ipse Nostras litteras missas ad Galliae episcopos (5), et singulos deteget decretorum errores tam in Fide, quam in recepta ab universali Ecclesia Disciplina.

Simulavit denique dilationem Nostrae responsionis ad suas priores litteras in causa fuisse, cur ipse et sacramentum praestiterit, et plura decreta fuerit exsecutus (6); quando idem *Lomenius* in suis prioribus litteris Nobis significaverat, se responsionem Nostram nequaquam exspectaturum.

Quae hactenus a Nobis exposita sunt, liquido constant ex tenore epistolae abdicationis *Lomenii*, quam vobis, VV. FF., modo Noster secretarius Brevium ad Principes recitabit.

(1) Act. Apost. cap. V. vers. 29.
(2) S. Paulus Epist. ad Rom. cap. X. vers. 10.
(3) Cit. §. *Placé.*
(4) Cit. Mandement.
(5) Epist. XVI. pag. 42.
(6) Cit. §. *Je devrais.*

Recita (1).

Quo vero firmiorem vim sua haberet abdicatio, non omisit *Lomenius* certiorem facere regem per eius Administrum, quem rogavit, ut Epistolam abdicationis ad Nos mitteret (2), prout revera ab eo missa fuit, ita ut ambigi prorsus nequeat de fide huius Epistolae, cuius characterem, ac signum, ut nulla cautio deesset, probandum rite curavimus coram dilecto filio *Petro Nigrono* protonotario, et consistorii secretario (3). Non omisit etiam *Lomenius* eandem abdicationis Epistolam per universum regnum typis evulgare, quo omnibus innotesceret, se Cardinalitiam abdicasse dignitatem (4), ita ut cuiusvis ordinis homines testes sint locupletissimi de ipsius efficaci certaque voluntate cardinalatum dimittendi, prout etiam fidem minime dubiam faciunt Episcoporum litterae, et Acta, quae ubique circumferuntur.

Vix ad Nos pervenit *Lomenii* Epistola de sua cardinalatus abdicatione, potuissemus quidem sine ulla mora illam approbatione Nostra roborare, sed a mansuetudinis semita adhuc non recedere rati sumus, ut ad illum denuo cohortatio Nostra pervenire posset, per quam ad saniores induceretur sensus, in iis scilicet litteris, quas paulo post dedimus dilectis filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, et VV. fratribus Archie-

(1) Recitata statim Lomenii Epistola fuit, quae hic omittitur. cum iam publici iuris facta sit typis Parisiensibus in libro, cui Titulus: *Observations sur le Bref du Pape à Mons. le Cardinal de Lomenie*, à Paris chez Froulle Imprimeur-Libraire, Quai des Augustins 1791. in fine pag. 1. et seq.—*Edetur in Append. huius volum.*

(2) Cit. lib. *Observations sur le Bref du Pape*, in fine pag. 5.

(3) Instrumento diei 19. Septembris 1791. per Testes habentes notam manum, et signum Lomenii.

(4) Diei 18. Aprilis, duodeviginti scilicet post eius abdicationem dies. Vid. Epist. XX.§. *Ad Cardinalem de Lomenie*, pag. 111.

piscopis et Episcopis, ac dilectis filiis capitulis, clero, et populo Galliarum regni (1). At nunc, iam elapsis mensibus sex, non solum nullum, tanto temporis intervallo, a *Lomenio* accepimus indicium poenitentiae de cardinalatus abdicatione, sed etiam per arrogantiam, et contemptum comminatae privationis (2) illum in proposito perstare luculenter intelligimus.

Itaque cum ambigendi non sit locus de perseverante *Lomenii* voluntate in cardinalatus dimissione, adeo perspicuis confirmata probationibus, ut omnibus sit clarior certiorque renunciationibus, quas adhuc ratas habuit haec apostolica Sedes, et probationes vincat a iure requisitas (3), diutius Nobis exspectandum non esse censuimus, ut abdicationem huiusmodi in hoc Nostro consistorio admitteremus. Nova non sunt in Ecclesiastica historia illorum exempla, qui dignitates suas dimiserunt, ut probrosam et inevitabilem damnationem praevenirent: immo ex sententia sanctorum Patrum, Conciliorum, et Pontificum id in spiritu humilitatis, et cum detestatione erroris erat faciendum, ut nempe iuxta monitum D. Io. Chrysostomi (4), quis antevertat sententiam, dimissis honoribus, et omnibus iurisdictionalibus officiis, cruentaeque conscientiae suae

(1) Id non dissimulat, qui pro Lomenio scripsit cit. lib. *Observations sur le Bref du Pape,* pag. 24 et 25. §. *Le Pape;* et evincunt Gallici Auctores, dum ea omnia, quae pro Lomenio scripta sunt, plane confutarunt suis lucubrationibus, scilicet: Lettre de l'Abbé Royou à Monsieur de Lomenie décardinalisé moitié de gré, moitié de force, mais toujours Archevêque de Sens malgré lui, malgré la Constitution; et Lettre de M. Henri Alexandre Audainel comte d'Antraigues à Etienne Charles de Lomenie Archevêque de Sens, data Aureliani die 10. Maii 1761, et typis edita in eadem Civitate.

(2) Journal Ecclésiastique Juin 1791.pag.194. usque ad pag.232.

(3) Cap. *In praesentia* 6. de renuntiatione.

(4) De Sacerdotio lib. III. cap. X. tom. I. oper. edit. Paris. Maurin. pag. 388.

medelam afferat, et in humiliori statu salvetur, quam in alio splendenti periclitetur.

Verum hic etiam considerandum est, quod *Lomenius* Cardinalatu dimisso, Archiepiscopatum retinuit, et in ipsa cardinalatus dimissione errorem non abiuravit; hinc si cum laude recipiantur renunciationes omnium ecclesiasticarum dignitatum ex spiritu poenitentiae, atque humili animi impulsu emissae, haec *Lomenii* renunciatio, quae non omnes complectitur dignitates, quaeque a debita erroris detestatione, et humilitatis spiritu longe recedit, accipiatur oportet loco poenae privationisque dignitatis cardinalitiae, quam ei iam indixeramus, nec minus salva sit suspensio ab exercitio Ordinis, in quam certe incidit, cum monitus ipse (1), ut intra terminum quadraginta dierum civicum sacramentum retractaret, huic minime paruerit pontificio praecepto, salvaeque etiam sint aliae canonicae poenae, quibus vel iam factus est, vel futurus erit obnoxius, si suscepto errori praevaricationis adhaeserit. Antequam vero quidquam statuamus, sententias vestras de more exposcimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra admittimus cessionem et abdicationem cardinalatus a *Carolo Stephano de Lomenie de Brienne* in manibus Nostris factam, postquam declaraveramus, eum dignitate huiusmodi privatum iri, nisi civicum sacramentum retractasset, una cum omnibus privilegiis, et insignibus ad dignitatem cardinalitiam quovis modo spectantibus, ita ut ipsa *Carolus Stephanus* dimittens deinceps nullo modo sit cardinalis, nec talis nominari possit, neque in ullis actibus ad cardinalatum pertinentibus, et praecipue in electione summi Pontificis vocem activam, vel passivam ha-

(1) Epist. N. XXVII. §. *Videntes itaque*, pag. 154.

bere, vel in illis se ingerere quoquo modo uti cardinalis valeat. Illum proinde ab hac die in posterum absolvimus a vinculo sacramenti praestiti occasione cardinalatus, salvis poenis, quibus se subiecit secundum canones, et constitutiones Apostolicas ex quacumque causa, et praesertim ob transgressiones circa dicti iuramenti observantiam hactenus commissas, et salva poena suspensionis ab exercitio Ordinis ab eo pariter incursa, ob non impletum praeceptum de praefato civico sacramento revocando intra quadraginta dies ad formam Nostrarum litterarum diei 13 elapsi mensis Aprilis, et salvis aliis omnibus gravioribus poenis canonicis declarandis in casu ulterioris pertinaciae.

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Locum collegii vestri, qui admissa nuper renunciatione *Caroli Stephani de Lomenie* vacat, inhaerendo exemplis Nostrorum praedecessorum Clementis XI (1), et Benedicti XIV (2), absque ulla cunctatione implere volumus, ideoque ad maiorem omnipotentis Dei gloriam, et S. R. E. praesidium et decus creare intendimus in presbyterum Cardinalem egregium virum, quem iustis de causis in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque evulgandum.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra creamus presbyterum S. R. E. Cardinalem, arbitrio Nostro quandocumque declarandum, cum derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

(1) Acta Consistorii diei 7. Iunii 1706.
(2) Acta Consistorii diei 18. Decembris 1754.

LII.

CARISSIMIS IN CHRISTO FILIIS NOSTRIS

LUDOVICO STANISLAO COMITI PROVINCIAE

ET

CAROLO PHILIPPO COMITI ARTESIAE

PIUS PAPA VI.

Dilectissimi in Christo Filii Nostri, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Gratissimum Nobis fecistis, dilectissimi in Christo filii Nostri, quod ad Nos exempla duo miseritis epistolae typis editae, quam ad christianissimum regem germanum fratrem vestrum scripsistis, nec non et alterius item epistolae in eandem sententiam a Borbonicis principibus ad eundem transmissae. Utramque diligentissime perlegimus, ac merito collaudavimus, praecipue vero per primam animo nostro satisfactum esse profitemur, quod eandem et gravissimarum rationum momentis, et dicendi vi maxime pollere cognosceremus. Sed vel eo magis dolemus, quod ipsam nunc fructu carere suo videamus; siquidem rex, etsi invitus, ut facile constat, pertrahi tamen passus sit ad ratam suo assensu faciendam, confirmandamque constitutionem sibi idcirco a nationali Conventu oblatam: quae quidem eius sanctio vehementer Nobis displicere debuit, quod eadem non minus religioni, quam regiae auctoritati adversetur. Attamen ob infelicem in quo positus erat statum, multos ille profecto ad sui commiserationem commovebit. At si externi magni principes exsequi mature contenderint, quae se facturos ad publicam regum tuendam causam declararunt,

vosque ipsos sperare fecerunt, minime dubitamus, quin ex iis vestris litteris tam vere a vobis, ac tam studiose, ardenterque perscriptis illud consecuturum sit, ut rex ipse demum solutus a captivitate sibi per populos suos illata, iamque liber, vestris illis egregiis excitatus stimulis in regios se extollat spiritus, ac ad religionem potestatemque suam vindicandam revocandamque inflammetur. Dum in hac fiducia nunc praecipue sumus, Deumque Optimum Maximum precamur, ut conatus vestros sua ope praesidioque provehat ac secundet, interim singulares vobis persolvimus pro hoc praeclaro vestro in Nos officio gratias, ac invicem in plurimae nostrae charitatis existimationisque argumentum, apostolicam benedictionem vobis, dilectissimi in Christo filii nostri, ex intimo paterno corde depromptam amantissime impertimur.

Datum Romae die V Octobris MDCCXCI, Pontificatus Nostri anno XVII.

LIII.

DILECTO FILIO NOSTRO

DOMINICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RUPEFUCALDIO

Archiepiscopo Rothomagensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Officiis tuis, dilecte fili noster, vehementer gaudemus, quae potissimum fusis pro Nobis ad Dominum obsecrationibus continentur, ac ex iis optima capimus divini erga Nos et commissam Nobis Ecclesiam prae-

sidii auguria. Itaque peraccepta Nobis fuit tua haec erga Nos pietatis ac observantiae confirmatio, eo praesertim delata tempore, quo dum natum Dominum anniversaria celebritate recolimus, et ferventiora solent esse ad eum vota, et eiusdem in Nos clementiae ac bonitatis multo largiora munera. Invicem Nos ipsi pro ea plurima, qua erga te sumus paterna charitate, id maxime orando contendimus, ut iis omnibus cumularis donis, quae tibi esse possint his aerumnosis temporibus peropportuna, quibus scilicet animi tui fortitudo tam praeclare hactenus exhibita magis in dies, magisque roboretur, ac in ipsis tribulationibus, tamquam aurum in igne probata splendidior usque enitescat. Quod de te, tuaque virtute, dilecte fili noster, praedicamus, idem de universis collegis tuis tecum sentientibus dicimus, deque universo itidem fideli clero, cuius agnoscimus in retinenda vera fide merita, Deumque omnipotentem per Iesum Christum numquam intermissis precibus obsecramus, atque obtestamur, ut misereri tandem Ecclesiae suae velit, Nosque post tot fletus ac dolores in eam inducere consolationem, qua nulla maior ac potior esse posset, quam si restitutam in Galliae regnum intelligamus catholicam religionem, si vos omnes ad vestras sedes revocatos, si regem in suam regressum potestatem, si veram demum pacem, concordiam tranquillitatemque per universam gallicam ditionem unanimi pietatis sensu constitutam. Haec nostra, ac pene unica his temporibus vota sunt, haec animo nostro diu noctuque versamus, in haec omnes sollicitudines nostras, studia curasque intendimus. Ex qua etiam promanat plena in te amoris existimationisque apostolica benedictio, quam enixiore et cumulatiore in dies tibi, dilecte fili noster, voluntate impertimur.

Datum Romae, die VII Ianuarii MDCCXCII, Pontificatus Nostri Anno XVII.

LIV.

VENERABILI FRATRI

AUGUSTO

Episcopo Spirensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quae ad Nos tua detulisti epistola data die 7 mensis Maii proxime elapsi, de postremis nostris apostolicis Litteris per te Latina et Germanica lingua evulgatis non per dioecesim modo ditionis tuae, sed per eam etiam dioecesis partem, quae sita est in regno Galliae, ea pergrata Nobis fuerunt, utpote quae novum exhibent tuae in Nos observantiae, tuique in religionem studii argumentum. Gratum etiam accidit Nobis ex tua epistola audire multorum retractationes post easdem nostras Litteras, easque a pluribus etiam parochis intrusis factas fuisse. Utinam Deus, a quo omne bonum est, det incrementum! Quemadmodum vero tu omnis ambiguitatis tollendae causa id maxime optare prae te fers, ut per nos conceptis verbis facultate doneris absolvendi poenitentes intrusos, in dicta dioecesis tuae gallicanae parte commorantes, ita ex novis Nostris Litteris, quarum plura exempla ad te mittimus, non modo agnosces eam quam tu declarationem exoptas, sed normam etiam inibi invenies, qua in absolvendis intrusis erit utendum. Quam Nos perscripsimus normam ea postulat, ut retractatio publica sit. Sed si tu ad evitanda mala peiora prioribus putas, satis modo esse si parochus privatim primo co-

*

ram loci municipalitate iuramentum suum retractet, ac deinde singulis communitatis membris patefaciat, se poenitentia ductum retractasse errorem, hic sane agendi modus minime Nostrae adversabitur legi, si illud praestabis, ut absolutio nemini concedatur, nisi prius eius retractationis actus supra expressa methodo manifestus evaserit. Nos numquam deerimus testatam tibi facere quacumque in re singularem Nostram in te benevolentiam, ac existimationem, et interim tibi, tuaeque curae concredito gregi apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, die XX Iunii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

LV.

SERENISSIMAE, POTENTISSIMAE, AC MAGNAE DOMINAE

CATHARINAE

Et magnae Ducissae universae magnae, parvae et albae Russiae autocratrici, necnon magnorum dominiorum Orientalium et Occidentalium Patronae, Augustaeque heredis Dominae et Dominatrici.

PIUS PAPA VI.

Serenissima

Cum iniustissimae ac per vim contra ius gentium peractae occupationis nostrarum in Gallia antiquissimarum ditionum *memoriam* conscriberemus ad multas regias aulas dimittendam, quo illas ad tantum facinus saltem detestandum ipsa rei narratione commoveremus, praecipue cogitationem Nostram convertimus ad Maiestatem tuam, Augustissima ac Poten-

tissima Imperatrix, cuius perspecta nobis erat, ac saepe etiam experta summa aequitas ac magnitudo, atque idcirco quantocius ad te pervenire *memoriam* illam per dilectum Filium Santini curavimus, ut excitata in te, ob latam tantamque iniuriam, indignatione, dolorem nostrum aliquantum minueremus. Verum non solum decepti hac in spe non sumus, sed exspectationem Nostram omnem vicit humanissime nobiscum communicatus excelsi animi tui sensus, quo et iniquam illam aversaris usurpationem, et nostro, pro tua singulari magnanimitate, dolore, iacturaque afficeris, quodque maxime Nos in tui admirationem rapit, studia etiam tua nobis generosissime declaras, quibus inflammaris, ut quantum in te est, et iniuria illa nobis reparetur, et damnum. Atque hunc animum tuum aliis etiam regiis aulis innotescere voluisti, unde iustissimae praeclarissimaeque huius voluntatis tuae fama ad eos iterum iterumque resultaret. Incredibile est, invictissima Dominatrix, quantopere recreati sumus iucundissimis hisce eximiae declarationis tuae nunciis, quantamque tibi propterea habendam a Nobis ducamus gratiam. Continere igitur intra nos non potuimus hosce erga Maiestatem Tuam debitos luculentissimos sensus, quin eosdem tibi per Nostras saltem significemus litteras. Sine igitur, ut hoc te officio adeamus, teque obsecremus, ut quam gratiarum actionem suscepimus, neque satis assequi verbis possumus, eandem ipsa tua benignitate excipias ac sustollas, Nosque nullo non tempore memores tantorum in Nos meritorum futuros existimes, quibus nunc ita innitimur, ut maxime confidamus, si coniunctis multorum principum viribus atque opibus contumaces conventus Gallici spiritus omnino retundantur, regnumque illud ad pristina iura revertatur, fore ut Nos etiam nostras illas simus provincias per tuam praecipue

auctoritatem operamque recepturi. Hac re certe plurimus accedet ad tuam gloriam cumulus, quam hactenus ex relatis de infidelibus maximis victoriis ac triumphis, atque ex prolato in vastissimas uberrimasque regiones imperio, ac demum ex confecta pace comparasti. Dum propterea etiam atque etiam gratulamur tibi de immensis istis gestarum rerum laudibus, Deum O. M. precari non intermittimus pro incolumitatis tuae felicitatisque constantia, proque ceteris eius gratiae muneribus, quibus nihil amplius, atque illustrius exoptari umquam possit.

Datum Romae, die XXV Febrarii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

LVI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LEOPOLDO

Hungariae Regi Apostolico, necnon Bohemiae Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Post peractam ex Decreto Nationalis Gallici Conventus iniquissimam illam Nostrarum in Gallia antiquarum ditionum occupationem, quid nobis aliud agendum erat, quam eius rei *memoriam* conscribere, et ad regias aulas dimittere, quo illas saltem ad talis, tantaeque iniustitiae detestationem commoveremus? Eandem ad Caesaream Maiestatem tuam quamprimum deferri per venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Archiepiscopum Iconii, ordinarium Nostrum apud te

Nuncium, mandavimus. Te enim prae ceteris spectandum in ea Nobis proposueramus, qui et dignitate, et potentia emineres aliis, utpote in maximi Imperii vertice constitutus, quibus in praecipuo amplissimae tuae potestatis habes munere, ut Apostolicam hanc Sedem, eiusque rationes, cum opus esset, sustentes ac tuearis; praetereaque, qui pro singulari tuae mentis intelligentia, facile cognosceres, quantus ex hac Nobis illata iniuria, si impune id actum fuerit, gradus factus esset ad ceterorum etiam principum sine ullo iure invadendas provincias. Adiit statim Maiestatem tuam Nuncius noster, illamque tibi *memoriam* exhibens, quid in ea contineretur, quidque postulabatur, accurate declaravit.

Tum vero maxime pro regia humanitate tua egregios patefecisti, plenosque aequitatis ac magnitudinis animi sensus, cum diceres: *te summo studio tam iustam suscepturum causam, opportuneque una cum aliis principibus curaturum, ut quae ablata Sanctae Sedi sunt, restituerentur.* Neque haec simplex fuit tam prolixae voluntatis tuae declaratio; sed cum te iterum adiisset Nuncius, iterum multo etiam acriore renovata studio: eidem enim mandasti, ut tuo ad Nos nomine scriberet, *te omni opera acturum, ut Avenionem, ceterasque ablatas ditiones reciperemus, quo nihil umquam iustius esse possit, neque quidquam sit, quod tantopere omnium etiam intersit supremorum principum, quam ne tale usurpationis exemplum in ullam abire valeat temporis praescriptionem.* Haec omnia libenter commemoramus, carissime in Christo Fili Noster, quo agnoscas non solum quantam in te ponamus fiduciam, sed quantum quoque tibi deberi a Nobis profiteamur. Neque enim praetermittendum ducimus, quin saltem per litterarum officium tibi gratissimum testemur animum Nostrum, quem umquam

nulla capere poterit tantorum meritorum tuorum in dies magis, magisque cumulandorum oblivio.

Atque haec ut ampliora fiant, tibique gloriosiora, communicamus hic itidem tecum immensum dolorem Nostrum, quo diu noctuque urgemur, dum quae ab ultima origine in Gallia floruit, Christi religionem ipsam videmus ibidem nunc plane proteri ac pessundari. Quae fidelium, quae sacerdotum insectatio, quae bonorum fuga fiat, ipse profecto non ignoras. Ille etiam impietatis furor in alienas ditiones exundare, omniaque tam divina, quam regia, atque humana iura ubique tentat per suas opes, per insidias, per novas opiniones clam palamque corrumpere ac subvertere. Dei ipsius potestatem oppugnat, ut tanto facilius regiam potestatem possit, quae illius innititur voluntate, de medio prorsus auferre. Huius igitur audaciae hactenus inauditae cum teterrimi formidentur successus, cumque pestis haec ubique grassetur, ac suas immittat stirpes cum publico maximo detrimento erupturas, quorumnam magis interest, quam regum ipsorum eandem radicitus evellere, atque abolere?

Tu ipse inter illos emines; tu ipse tam necessarii foederis optimus conciliator atque auctor esse potes ad Dei causam, propriamque omnium vestrum tuendam, coniunctisque viribus propugnandam.

Minime praeterire potuimus, carissime in Christo Fili Noster, cum tecum agere susceperimus de recuperanda per tuam auctoritatem Nostra in Gallia ditione, quin quod multo Nos magis sollicitat atque angit, ipsam tibi religionem commendemus, non quod ullo modo dubitemus de praestante animo tuo, sed ut et muneri Nostro satisfaciamus, *et tibi iam praeclara, teque digna agitanti consilia*, omnes, quantum a Nobis est, ad veram gloriam stimulos adiungamus.

Ac ut magis propitium faventemque inceptis tuis

omnibus habeas Deum, eiusdem caelestium munerum auspicem, apostolicam benedictionem augustissimae Maiestati tuae, universaeque Austriacae Domui ex intimo paterno corde depromptam amantissime impertimur.

Datum Romae, die III Martii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

PIUS, qui supra.

LVII.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS
ET VEN. ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

Ac dilectis Filiis Capitulis, Clero et populo Regni Galliarum.

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii Nostri, Ven. Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Novae hae litterae, quas ad vos damus, testatum vobis facient, quanto ex una parte Noster animus gaudio, ex alia vero afficiatur dolore propter diversum Nostrarum *monitionum* exitum, quae litteris, die 13 mensis Aprilis superioris anni datis continebantur; quae quidem monitiones quales fuerint, nec vos latet, nec ullus catholici orbis ignorat Episcopus.

Ad *gaudium* quod attinet, vos in primis, Dilecti filii Nostri S. R. E. cardinales, ac ven. fratres archiepiscopi et Episcopi, locupletissimam Nobis causam suppeditatis. Nostris enim paternis vocibus confirmati magis magisque egregia constantiae laude enituistis, alii ex vobis invicto animo exsilium tolerantes extra vestras Ecclesias, et extra ipsum Regnum; alii iniu-

riis adversantium ac insectationibus obnoxii in vestris ipsis Ecclesiis; alii denique carceris etiam squalorem sustinentes, quod praesertim de te factum fuisse ex tuis litteris intelleximus, ven. fr. Episcope *Seniciensis*, dignus propterea, qui potiori laude cumuleris; omnes praeterea (si quatuor tantum Pastores infelicissimi excipiantur) sive praesentes, sive absentes id maximo studio atque ope adlaborantes, ut Nostrae vulgarentur Epistolae, utque universarum Dioecesium Fideles Nostris monitionibus obsecundarent.

Quapropter Nos cum S. Leone *gratias agimus Deo, et multam fiduciam piae exsultationis accipimus, cum catholicam fraternitatem ita spiritu fidei vigere cognoscimus, ut cordibus vestris nihil infirmitatis haeretica possit inferre tentatio... Quamvis ergo magna locorum intervalla Nos dividant, unitate tamen fidei vobiscum sumus..... cum de vestrae professionis concordia gloriamur: tantum ut sit auxiliante Domino constantia perseverans, dicente Apostolo: Vobis enim donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* (1). Angores vestri sunt Nobiscum communes: *Compatimur enim* (veluti aiebant *Sardicenses patres* Arianae persecutionis tempore) *fratribus Nostris patientibus, et eorum passiones Nostras proprias arbitramur, et Nostras lacrimas cum vestris commiscuimus* (2).

Vos quoque animum Nostrum consolatione affecistis, dilecti filii canonici, et parochi singulari laude digni, Universitatum, et Sorbonae praesertim, Professores, virtute praestantes et de religione in hoc po-

(1) Epist. ad Martinum Presbyterum in Collect. Concil. Labbei, edit. recentiss. Ant. Zatta num. 74. tom. VI. col. 95. litt. B. C.

(2) Epist. ad Ecclesiam Alexandrinam in cit. Collect. Labbei, tom. III. col. 55, litt. A. et apud S. Athanasium Apolog. II. op. omn. Coloniae 1686, tom. I. pag. 759. litt. A.

tissimum rerum discrimine optime meriti, Seminariorum rectores, aliique cuiusvis generis Ecclesiastici, sacrae Virgines, et Laici etiam, qui Nostris hortationibus inhaerentes, constantes in Fide perstitistis, et munera vestra ita obiistis, ut multi ex vobis, exemplo Pastorum vestrorum, contumelias, exsilium, carceres, aliasque vexationes magna virtute pertulerint. Non pauci etiam ex clero vestri secundi ordinis ad Conventum nationis gallicanae deputati, egregii sane viri, et tum ipsorum doctrina tum bonae causae defensione percelebres, suos erga Nos constantiae, obsequii, et observantiae sensus prae se ferre gloriati sunt, litteris ad Nos datis sex abhinc mensibus: idemque praestiterunt alii ex secundo ordine ecclesiastici in unum collecti una cum ven. fratre *Francisco Episcopo Claremontensi*, suis ad Nos datis litteris die 22 mensis Ianuarii, nec non alii hisce adhaerentes, die 17 Februarii huius anni; quos propterea hoc loco meritis laudibus commemoramus.

Maior autem cumulus consolationis accessit propter vos, dilecti filii secundi ordinis Ecclesiastici, qui vix Nostro iudicio, Nostrisque monitis auditis, illustre veterum quorundam *Galliae Episcoporum* imitati estis exemplum. Nam sicuti illi post probatam una cum orientalibus episcopis *erroneam concilii Ariminensis formulam,* agnoscentes *fraudem* passam esse eorum simplicitatem, sese retulerunt *ab his omnibus, quae per ignorantiam perperam gesta sunt.... maximeque eorum sacerdotes apostatas respuentes, qui in loca fratrum indignissime exsulantium, quorundam aut ignoratione, aut impietate sunt substituti* (1); ita et

(1) Ita professi sunt Gallicani illi Episcopi in Synodica Epistola ad Orientales Episcopos, quae primum edita est a Nicolao Fabro initio II. Partis Fragmentorum S. Hilarii de Synodis, referturque a Labbeo cit. tom. III. col. 857. et seq., ac praesertim col. 859. litt. B. C.

vos alacres *impium illud sacramentum* eiurastis, quod vel metus, vel ignorantia, vel deceptio a vobis extorserat, detestantes eos, qui in huiusmodi sacramento continebantur, errores, vosque ab intrusis segregantes, et denique legitimis consentientes, coniunctique pastoribus, a quibus discesseratis. *Retractationes* huiusmodi ita multae fuerunt, ut quilibet dies semper novas afferret, atque illud inde redundarit, ut qui penitus excaecati in errore perstare maluerunt, non levi dedecoris nota apud omnes ordines sint inusti, et de sua existimatione deciderint penes illos etiam, qui ad huiusmodi apostasiam eos impulerunt, quemadmodum a pluribus episcopis Nobis nunciatum est.

Hinc mirum nequaquam erit, si gaudium Nostrum propter vos tanto maius evadat, sitque commune cum Ecclesia universa; ac propterea vobiscum sequendam ducimus benigne agendi rationem, quam S. Leo cum quibusdam *episcopis orientalibus* iniit, qui partes habuerunt in eiectione S. Flaviani a sede Constantinopolitana. Haec enim habuit ad *Anatolium Constantinopolitanum episcopum* (1): *De fratribus vero, quos.... communionis Nostrae cupidos esse cognovimus, eo quod doleant, se contra potentiam, contraque terrores non tenuisse constantiam, sed alieno sceleri praebuisse consensum; cum ita eos formido turbasset, ut in damnationem catholici atque innocentis antistitis, et in receptionem detestabilis pravitatis trepido famularentur obsequio... volumus, quatenus hi, qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant, et accusare se magis eligunt, quam tueri, pacis et communionis Nostrae unitate laetentur... Neque enim potest in*

(1) Epist. LXXX. in cit. edit. Labbei tom. VI. col. 109. lit. A. B. Pro cuius interpretatione consuli etiam potest Epistola, quae praecedit, data ad Pulcheriam Augustam loco cit. col. 106. litt. C., et col. 107. litt. A.

aliquo benignitas Nostra reprehendi, cum satisfacientes recipimus, quos doluimus esse deceptos.

Nonnihil quoque recreati animo sumus ex nuncio ad Nos delato, intrusum *Rothomagensem* sese occupata sede abdicasse, nec non alios intrusos fugam arripuisse. Haec porro intelligentes, bonum illud respeximus, quod ab eorum abdicatione et fuga profluxit. Huiusmodi enim abdicationes et fugae satis Fidelibus patefaciunt, qua intrusi senserint inuri se dedecoris nota, et qualibus conscientiae stimulis agitari, dum larva episcopatus induti schisma super alios omnes molirentur, ac foverent. Ceterum hac in parte gaudium Nostrum plenum esse non potest. Nos enim minime fugit, intrusum Rothomagensem, tunc cum munus abbicabat, loco sacramenti eiurandi, errorisque detestandi, suam pervicaciam prae se tulisse; reliquosque etiam, qui fugam arripuerunt, haud obscura dedisse suae pertinaciae specimina, ut proinde opus sit, cum hos, tum alios, qui horum imitentur exempla, Ecclesiae cumulate, et eo quo debent ritu, satisfacere; nam secus perfrui non poterunt Nostra et Ecclesiae communione, quoniam *nec aspere communionis Nostrae gratia deneganda est, nec temere largienda,* uti docet S. Leo (1).

Haec de gaudio. Nunc quae ad *luctum* pertinent. Dolet Nobis vehementer, quod multi ex secundo ordine Ecclesiastici viri, et magna laicorum pars, tametsi per Nos moniti, in errore tamen perstiterint. At vehementius adhuc Nobis dolet, quod in eodem errore perseverarint tum *Augustodunensis episcopus,* praecipuus schismatis auctor, tum *archiepiscopus Senonensis,* tum *Vivariensis* et *Aurelianensis episcopi,* utpote qui cum legitimi pastores essent, ignorare mi-

(1) Cit. Epist. LXXX. ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, tom. VI. Labbei col 109. litt. D.

nime poterant nec ministerii sui munera et officia, nec iniuriae gravitatem, quam in totum Ecclesiae gallicanae corpus intulerant, multisque nominibus arctiori vinculo tenebantur Nostris obtemperare mandatis. In se ipsos praeterea suscipiebant, suasque faciebant subiectorum sibi populorum culpas. Etenim si, ut pastoribus inferiorum peccata tribuantur, sola sufficit negligentia, veluti pergit idem S. Leo, *quia inferiorum ordinum culpae ad nullos magis referendae sunt, quam ad desides negligentesque rectores, qui multam saepe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam* (1); quanto magis damnandi erunt hi infelices episcopi, qui loco adhibendi errantium morbis medicas manus, sua auctoritate, suoque exemplo bonos etiam ad malum impulerunt?

Vehementissime vero Nobis dolet ipse schismatis huius progressus, qui numquam poterit debita orationis gravitate commemorari. Cum enim Nostrarum superiorum litterarum tempore non innotescerent Nobis, nisi *octo* tantum episcopi sacrilege consecrati, et impie in totidem Ecclesias intrusi, paulo post infaustissimus Nobis nuncius advenit, tam multis manus impositas nefarie fuisse, ut brevi dierum spatio *fere omnes* istius regni Ecclesiae ab intrusis fuerint occupatae.

Si sanctus Athanasius in invasione *unius* Ecclesiae Alexandrinae, quam *Georgius per edictum principis contra canonum Ecclesiasticorum instructionem* occupaverat, iure ac merito in haec verba prorupit: *Numquam quidquam tale auditum est in orbe terrarum... Nunc universa Ecclesia iniuria est affecta; et sacrarium contumeliose habitum, et, quod magis est, pietas ab impietate persecutionem perpetitur* ..... etenim

(1) Epist. ad Ianuarium Episcopum Aquileiensem, apud Labbeum num. 18. tom V. col 1318. litt. B.

patiente uno membro, compatiuntur et reliqua membra (1); quanto magis Nos in repentina *omnium* fere florentissimi regni Ecclesiarum occupatione exclamare debuimus, *nihil simile umquam in Ecclesia Dei accidisse?*

Item si antiquissima Romana synodus, ad quam episcopi Galli confugerant, cum ob alias causas, tum maxime quod plures episcopi alienarum dioecesium partes praecipitanter invaserant, irregularesque ordinationes peregerant, aliosque non rite iurisdictionis actus obierant, gravissime illis respondit: *Si quis certe fines alienae possessionis invaserit, reus violentiae iudicatur. Quid curritur? quid festinatur, ut regula ecclesiastica conculcetur? leges humanae tenentur, et divina praecepta contemnuntur: praesens gladius formidatur, et temporalis poena; divina vero vindicta, quae habet flammas gehennae perpetuas, negligitur. Videritis quae praesumptio fecerit: ex hoc si quis in aliena dioecesi ausus fuerit ordinationem facere, eamque praesumere, sciat se de statu suo posse periclitari, qui alienam Ecclesiam invadere praesumpserit. Non est saeculare aliquid, non sunt mundanae promotiones* (2); si, inquimus, praedicta synodus eos ita reprehendit episcopos, qui nonnisi *partem* alienae dioecesis invaserant, quanto maiori reprehensione digni erunt non solum *omnes pseudo-episcopi*, qui minus rite electi, et sacrilege ordinati episcopales sedes, quibus legitimi praeerant pastores, absque canonica missione invaserunt, *integrasque* dioeceses oc-

(1) Epist. Catholica ad omnes ubique per Aegyptum etc. Orthodoxos Episcopos, cit. op. omn. tom. I. pag. 943. litt. B. C., et pag. 949. B.

(2) Can. XV. in cit. Labbei recentissima edit. tom. III. col. 1138. litt. E., et col. 1139. A. B. Huius Synodi Canones sive Epistolam spectare ad Innocentium I. opinatus est Sirmondus, ut in Nota I. adiecta verb. *Canones.*

cuparunt, sed *quatuor* etiam illi pastores legitimi, quorum tres decreta nationalis conventus amplexi *partem* occuparunt *alienarum* dioecesium, *suarumque partem* dereliquerunt; alter vero dum primus, duobus coniunctis episcopis adsistentibus, intrusos consecrando pater evasit pseudo-episcoporum, in causa fuit, cur reliquae sedes invaderentur, derelicta etiam *propria* sede, ut intruso locum aperiret?

Accidere sane non potest, *ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio* (1). Longum quidem, luctuosumque esset verbis exprimere hoc loco corruptum undique Ecclesiarum Galliae statum, et gravissima ea damna, quae ab huiusmodi intrusis Religioni allata sunt. Illud sufficiat animadvertere, quod sacro legitimoque regimini profanum et sacrilegum regimen suffecerunt. Cum enim glorientur ipsi episcoporum *constitutionalium* nomine nuncupari, satis agnoscere videntur, se Catholicos episcopos minime esse; adeoque a sacris ministeriis repellunt atque arcent eos, qui iuxta Ecclesiae ritus unice pastores legitimi appellantur, et sunt. Cum autem illi sese in sedes episcopales intruserint, alios sui similes ad regimen parochiarum intrudunt, quos Ecclesia aversatur et reiicit, quosque sola constitutio agnoscit et probat, corrumpentes sacras ordinationes, sacramentorumque administrationem; utque omnia paucis complectamur, Ecclesiam, eiusque auctoritatem divinitus institutam Imperio subiicientes, nec non veritati errorem, pietati impietatem subrogantes, iuxta germanam praedictae constitutionis analysim.

Quoniam vero proprium semper et peculiare *Haereticis, Schismaticisque* fuit simulatione uti; ita huiusmodi etiam intrusi nil habent antiquius, quam ut

(1) S. Leo Epist. ad Episc. Afric. apud Labbeum n. 12. tom. V. col. 1258. lit. C.

per simulationem populos in errorem inducant, dum omnes actus suos quodam quasi velamine charitatis praetexunt; dum tuentur ac laudant constitutionis reformationes, perinde ac si antiquiori, ac puriori Ecclesiae essent accommodatae; dum habere se iactant sinceram cum Ecclesia, et cum hac sancta apostolica Sede communionem. Huc spectant *Nunciatoriae* tantum epistolae, quas exemplum priorum intrusorum sequentes, alii etiam posteriores ad Nos miserunt; huc *cohortationes* de precibus pro Nostra salute, atque incolumitate fundendis.

At huiusmodi contestationum, officiorumque genus agnoscitur depromptum, veluti ex archetypo, a nefariis schismaticorum, et haereticorum scholis. Nam legimus *Photium* scripsisse S. Pontifici Nicolao (1), *Lutherum* Leoni X (2), *Petrum Paulum Vergerium* iuniorem Iulio III (3); qui omnes dum effingebant obedientiam et unionem cum apostolica Sede, querebanturque de insimulata pravitate eorum doctrinae, coniunctim eidem S. Sedi insultabant, pravosque errores edocebant.

Ita et hodierni *Episcopi intrusi* opus recenter evulgarunt, in quod omnes coniecerunt erroneos, schismaticos, et haereticos, saepius refutatos atque reiectos sensus, quibus nonnullae ex suis pastoralibus epistolis, aliique libelli non sine gravissima Ecclesiasticae historiae perturbatione redundabant, cui quidem operi insidiosum praefixerunt titulum (4): *Accord des vrais*

(1) Epistolae leguntur apud Baronium ad ann. 859. n. 61. et ad ann. 861. n. 34

(2) Operum Lutheri tom. I. pag. 65, edit. Ienae 1612. pag. 188. et pag. 385.

(3) Opuscul. Italice impress. sine loco editionis, et sine anno.

(4) « Concordia verorum principiorum Ecclesiae, moralis, et » rationis super Constitutione Civili Cleri Gallicani, auctoribus Epi-

principes de l'Eglise, de la morale, et de la raison sur la constitution civile du Clergé de France par les Evêques des départements, membres de l'Assemblée Nationale constituante. A Paris 1791, adiecta in fine eiusdem improbi operis, ad populos facilius decipiendos, ementita quadam epistola, perinde ac si illa ad Nos missa fuisset. Sed ad bonorum instructionem, eorumque solidandam perseverantiam, non deerimus exprimere pestilens virus, quod undique ex pravo opere emanat.

Interea praeterire non possumus *duplicem falllaciam,* quam episcopi intrusi evulgant intrepide ad retrahendos populos ab obedientia apostolicis Nostris monitionibus debita, quarum unaquaeque est altera deterior. Pertinet *prima* ad negatam authenticitatem Nostrarum litterarum: huiusmodi autem commentum magis congruum esse non potest, planeque consentiens illi, ex quo fonte profluxit. Qua enim bona fide dubitari potest de Nostrarum litterarum veritate, quae Nostra manu obsignatae ad metropolitanos Galliae missae sunt, quaeque iussu Nostro typis Romanis editae, non per regnum Galliae modo, sed per omnes etiam catholici orbis partes circumlatae sunt, ea prorsus ratione, qua de hisce Nostris litteris fiet? Quomodo igitur apocryphum dici potest monumentum illud, quod Nostrum est, quod unice dimanat a Nobis, quodque tanta solemnitate vulgatum, nullum ambiguitati relinquit locum, quod denique tale est, ut quilibet illud facili negotio distinguat ab aliis corruptis et commentitiis monumentis, quae refractarii Nostro nomine edi curarunt in vulgus non sine summa audacia, ac manifesta calumnia ad approbationem conciliandam civil

» scopis Partitionum (vulgo *Départements*), Membris Conventus
» Nationalis constituentis. Lutetiae Parisiormu 1791.»

constitutioni cleri, per Nos a suo usque initio plurimo cum horrore detestatae?

Spectat *alia* fraudulenta intrusorum fallacia et circumventio ad defectum cuiusdam civilis formae in publicatione litterarum Nostrarum. Etenim nec ipsi nesciunt, nec quemquam alium latere potest, huiusmodi formam in praesenti gallicarum rerum statu adhiberi non posse; ita ut qui huiusmodi formam requirunt, ii nil prius habeant, quam ut schisma et intrusio impune grassentur. Non latet etiam, hanc civilem formam non esse necessariam, maxime cum res sit *de causa maiori*, quae ad Nos et spectat, et per episcopos delata est; quod quidem catholici omnes fatentur, et declaravit Valentinianus Augustus in *Novella,* quae subsequitur epistolam S. Leonis magni *ad episcopos per provinciam Viennensem constitutos* (1) perspicuis hisce verbis: *Et erat quidem ipsa sententia* (S. Leonis) *per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesiis non liceret?* Et clerus etiam gallicanus agnovit, ubi actum est de vulgandis encyclicis litteris decessoris Nostri Benedicti XIV, *Minime,* inquiens, *indigetis regia auctoritate, ad evulgandam, tamquam regulam, sanctae apostolicae Sedis responsionem in re mere spirituali* (2).

Quae hactenus diximus de lacrimabili schismatis statu, cui mirum in modum inserviunt intrusi, si attente perpendantur, quisque facile intelliget, quam Nos vere cum S. Athanasio exclamare possimus (3): *Nondum intellexistis solvi christianismum, et callide sub alia specie diabolum oppugnare Ecclesiam?*

(1) Epistol. X. part. II. operum S. Leonis edit. Tyrnav. 1767.

(2) Procès verbal de l'Assemblée générale du Clergé de France de l'année 1765. etc. Séance XX. pag. 77. §. *Cette publication.*

(3) Epist. Cathol. ad omnes ubique Orthodoxos Episcopos cit. tom. I. pag. 570. litt. D, et pag. 571. litt. A.

*

In tanta rerum Ecclesiae gallicanae conversione, ac in tanta criminis adeo publici gravitate, potuissemus Nos equidem *iam nunc* contra contumaces devenire ad comminatas excommunicationis poenas, cum longo undecim mensium et amplius intervallo a Nostrae monitionis die nullum ab iisdem poenitentiae signum apparuerit. Nihilo tamen minus, cum monitionem Nostram non inanem apud multos fuisse videremus atque ceterorum aliquantum exspectandam eiusmodi imitationem duceremus, et cum praeterea consideraremus magnam Dei longanimitatem, qui peccatores sustinet in multa patientia, nec vult eos perire, sed ad poenitentiam adduci; audito prius consilio selectae venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium congregationis coram Nobis habitae die 19 Ianuarii huius anni, benigne adhuc agendum Nobis esse cum contumacibus arbitramur, si forte suum in cor redeant, ac ad Deum convertantur. Nondum enim paternam exsuimus erga ipsos misericordiam; et quemadmodum *mulier oblivisci non potest infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui* (1), ita S. R. E. suos filios, licet inobsequentes ac pervicaces, oblivisci non potest, sed pietate in illos potius, quam iracundia permovetur. Quamobrem non sine gravi fletu ac gemitu Nos viscerum Nostrorum divisionem timentes, ab excommunicationis sententia ferenda modo abstinemus, diutius etiam differentes ultionem, ut locum habere possit correctio, firma tamen manente *suspensionis* poena inflicta per Nostras litteras diei 13 Aprilis.

Quapropter statuimus novam hanc, et *peremptoriam* monitionem facere, *secundae* et *tertiae* aequivalentem, qua *sexaginta dies* a die, quo praesentes hae litterae datae sunt, numerandos *pro secunda*,

(1) Isaiae cap. XLIX. v. 15.

alios proximos sexaginta dies pro tertia monitione assignamus, monentes scilicet:

1. Sacrilegos episcoporum intrusorum consecratores, seu adsistentes, *Carolum Mauritium episcopum Augustodunensem, Ioannem Baptistam episcopum Babylonis, et Ioannem Iosephum episcopum Liddae*, qui quemadmodum funestissimi schismatis auctores, ob primas, quas facere sunt ausi, pseudo-episcoporum consecrationes, ceteris omnibus atrocitate criminis praeiverunt, ita aequum est, ut primi omnium moneantur, et ad debitam emendationem excitentur.

2. *Omnes pseudo-episcopos intrusos*, qui absque electione, ordinatione, et missione legitima episcopales Sedes cum veteris, tum novae et illegitimae erectionis invaserunt, quarum pleraeque legitimis occupantur praesulibus; quae vero vacuae erant, per Vicarios Capitulares regebantur ad leges a Tridentino concilio praescriptas.

3. *Archiepiscopum Senonensem, episcopum Aurelianensem, episcopum Vivariensem, et Petrum Franciscum Marcellum Senonensis archiepiscopi Coadiutorem,* quorum primi tres, etsi canonice episcopatum acceperint, ausi sunt tamen alienarum dioecesium partes invadere, et partes suarum dioecesium derelinquere iuxta Conventus nationalis decreta: omnes autem, quemadmodum etiam episcopi consecratores, seu adsistentes, cunctique episcopi intrusi, veriti non sunt se subiicere civili constitutioni cleri per civicum sacramentum pure, et simpliciter praestitum, quod Nos in litteris die 13 aprilis datis *errorum omnium venenatum fontem et originem* esse declaravimus.

4. *Parochos, et alios quovis nomine curam animarum exercentes in titulo*, qui, praeterquamquod sacrilego illo se iureiurando polluerunt, sive integras invaserunt paroecias tam veteris, quam novae et il-

legitimae erectionis, sive earum partes, per institutionem nulliter receptam vel ab intrusis episcopis, vel ab archiepiscopo Senonensi, et ab episcopis Aurelianensi, et Vivariensi, legitimis quidem, sed civico iuramento obstrictis, extra pristinos fines respectivarum dioecesium, etiamsi aliqui ex ipsis rite antea ad Parochiale munus assumpti fuissent.

5. Denique *vicarios omnes, aliosque presbyteros* quocumque nomine appellentur, ad iurisdictionis actus exercendos, vel ad munia ecclesiastica obeunda delegatos, sive approbatos ab intrusis episcopis, qui in alios transferre nequeunt ius, quod ipsi non habent.

Quos omnes ita monitos, nisi nobis constiterit, intra praefinitum illud temporis spatium, quod superius assignavimus, pro suo quemque crimine, debita, ut par est, emendatione Ecclesiae satisfecisse; tum sane, etsi *dolebimus, et deflebimus, et plangemus, et visceribus dissecabimur, ut qui privemur propriis membris; tamen non ita dolebimus* (1), quin in causa tam gravi, pro criminum acerbitate, pro delinquentium multitudine, pro contagionis periculo, eo tandem deveniamus, quod apostolicae servitutis, et canonicae providentiae ratio a Nobis postulat, ut scilicet excommunicationis sententiam in eos feramus, eosque edicamus, atque mandemus ab Ecclesiae communione segregatos, et tamquam schismaticos pervicaces habendos, et vitandos esse declaremus.

Quam postremam canonicam monitionem, paternae hortationis, et lenitatis plenam, etsi nunc ad episcopos consecratores, seu adsistentes, ad episcopos intrusos, eorumque vicarios, ad episcopos iuratos, ad parochos item intrusos, et ad vicarios, seu presbyteros ab intrusis episcopis delegatos, seu approbatos

(1) S. Io. Chrysost. Homil. XI. in cap. IV. Epist. ad Ephes. tom. XI. pag. 87. edit. Paris. 1734.

convertimus, propterea quod eorum crimen multo sane gravius et perniciosius est vel ob ipsam delicti rationem, vel ob personarum dignitatem et auctoritatem, quae duo plurimum valent ad alios tum exemplo, tum usurpatae iurisdictionis usu corrumpendos; nihilominus *monitos* volumus etiam *ceteros*, qui editae constitutionis auctores fautoresque sunt, et iuratos omnes, maxime viros ecclesiasticos, ac praesertim parochos, seminariorum superiores vel rectores, universitatum et collegiorum professores aut moderatores, ne, si in suo delicto contumaces, obstinatique perstiterint, suo tempore similem poenam evasuros se putent.

Dum autem haec loquimur, dum ad minas istas confugimus, Deum testem vocamus, quantopere nollemus armis hisce spiritualibus uti, si secus fieri posset: lenitati enim, et misericordiae libentissimo semper animo, severitati autem nisi inviti et necessitate coacti locum damus; ac propterea omnes huius schismatis quovis modo participes, maximeque sacros ministros in visceribus Iesu Christi iterum enixe hortamur, et obsecramus, ut cogitent, quam indignum, quam perversum, quam miserrimum sit fideles, praesertim ecclesiasticos exitiali huic schismati favere et obsecundare, quod iniquo philosophorum novatorum consilio, maiorem partem conventus nationalis constituentium conflatum, in suo pene ortu, modo ipsi obstitissent, exstinctum fuisset. Horreant sane meditantes, quam *terribilis exspectatio iudicii, et ignis aemulatio eos consumptura sit* (1), quorum opera efficitur, ut schisma, quod per eorum poenitentiam tolli posset, etiam perduret, et per florentissimas Galliae provincias latissime grassetur, ac invalescat.

(1) S. Paul. Epist. ad Hebr. cap. X, v. 27.

Desunt forsan illustria *excitamenta Gallorum* revocandum civicum iusiurandum? Siquidem pat quod plurimi ex Gallis, scientia praestantiores, do les sese ostenderunt in detestandis erroribus prop gnatis. Etenim usque ab initio V saeculi *Leporius* m nachus edidit suorum errorum retractationem, q lecta fuit in V synodo Africana, et transmissa gal canis episcopis (1); *Lucidius* presbyter alteram dire synodo Arelatensi (2); non secus se gessit *Ioann Gerson,* qui retractationem emisit ope lectionis libr rum *S. Bonaventurae* (3). His subsequuti sunt *Petr de Marca* (4), *Franciscus Fenelon,* archiepiscopus meracensis, summa cum laude commemorandus (aliique plures gallicani scriptores, e quorum consp ctu quis erubescere, vel praefracte renuere poterit imitari, qui errores suos in eximiam gloriam, et ho norem converterunt? Nos firma spe adducimur fo ut abbreviata non sit manus Domini super omnes i trusos et schismaticos, utque aberrantes eorum ani in viam salutis revocentur, ac ipsi tot maiorum exe plis excitati cum retractatione impii iuramenti sac legas damnent consecrationes, praeoccupata abdic sacerdotia, legitimosque pastores agnoscant.

Vos interim, Ven. Fratres, quos, audita hac strema nostrarum litterarum monitione, pro ves

(1) Legitur apud Mar. Mercatorem tom. I. Dissert. II. de Syno- dis, edit. Garner, Paris. 1673. pag. 224.

(2) Refertur a Sirmondo Histor. Praedestinatiana cap. VII. tom. IV. operum edit. Paris. 1696. pag. 418.

(3) Exscribitur a Desirant. in oper. inscript. Consilium Pietat. de non sequend. errantib. tom. I. Dissert. II. cap. I. pag. 180 ad fin. edit. Rom. 1720.

(4) Apud eundem Desirant. loc. proxim. cit. cap. 17. pag. 18 et seq.

(5) Exstat in lib. « Relation des Actes, et Délibérations concer- nant la Constitution en forme de Bref de N. S. P. le Pape Inno- cent XII du douzième Mars 1699. » edit. Paris. 1700. pag. 39.

gregis salute correptos tremore cernere iam videmur, atque audire clamantes cum Paulo (1): *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* vos, inquimus, dum hasce litteras publice vulgabitis, Nostris sollicitudines vestras adiungite, ferventiores D. O. M. preces adhibete, iterate hortationes, praeceptionesque vestras, ut in tanta temporum acerbitate, in tanto animarum discrimine, et stantium fidelium constantiam confirmare, et lapsorum infirmitati opitulari possitis. Sed lapsis imprimis ob oculos ponite, nil sane aeternae eorum saluti, nil verae eorum gloriae, nil universae Ecclesiae laetitiae tantopere conducturum, nil denique futurum tam gratum, quam istud *obedientiae* sacrificium, quod Nos modo eos per viscera Dei nostri, per adventum Domini nostri Iesu Christi rogamus, flagitamus, obsecramus. Haec autem facientes, pergetis ii esse, qui iam estis, *boni ministri Christi Iesu, enutriti verbis fidei, et bonae doctrinae, quam assecuti estis* (2).

Vos quoque, dilecti filii spectabilium capitulorum canonici, parochi, sacerdotes, aliique gallicani cleri ministri, fideles demum universi in Galliarum regno degentes, qui constantia, et religionis studio ceteris antecelluistis, preces vestras cum Nostris, cumque Pastorum vestrorum precibus coniungite, et clamate in cinere, oratione, et ieiunio: *Parce Domine, parce populo tuo.* Nam bonus est, et misericors Deus, qui cum sacerdotium, et regnum videbit lacrimari, statim quasi compatiens ad commiserationem flectetur. Hinc gaudentes infortunia tolerate, quae vobis acciderunt, quaeque fortasse etiam accident, *donec Dei omnipotentis dextera omnia diaboli arma confringat; cui ob hoc aliquid audere permittitur, ut a fidelibus*

(1) S. Paulus II. ad Corinth. cap. XI. v. 29.
(2) S. Paul. I. ad Timoth. cap. IV. v. 6.

Christi gloria maiore vincatur... quoniam ubi veritas est magistra, numquam desunt divina solatia, fratres carissimi (1).

Super omnia etiam atque etiam commendamus vobis, atque praecipimus, ut legitimis vestris pastoribus semper haerentes *caveatis*, ne ullo modo communicetis, praesertim in divinis, cum intrusis, et refractariis, quocumque nomine appellentur, nec non et *caveatis* a praefato scelesto, et captioso opere: *Accord des vrais principes etc.*, a pastoralibus et a nunciatoriis epistolis, et ab aliis cuiuscumque generis scriptis per eos vulgatis, ac fortasse vulgandis, ut dum civilem cleri constitutionem defendunt, schisma ipsum confirment. Et quemadmodum Nos prioribus Nostris litteris reprobavimus iam, atque damnavimus constitutionem huiusmodi, ita novis etiam hisce litteris opus praedictum, pastorales et nunciatorias epistolas, et reliqua omnia scripta supremi, quo fungimur, apostolatus officio reprobamus, reiicimus atque damnamus.

Det Deus in multitudine miserationum suarum Nostris pastoralibus curis incrementum, ut qui fideles stant inter Vos, confirmentur, et qui lapsi sunt, erigantur. Sic Deum rogamus, et obsecramus, et *flectimus* (ut apostoli Pauli *ad Ephesios* scribentis (2) verbis utamur) *genua Nostra ad Patrem D. N. I. C. . . . . . ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, et fundati;* et in horum caelestium donorum pignus, vobis, dilecti filii Nostri, ven. fratres, ac dilecti filii, apostolicam be-

(1) S. Leo in Epist. ad Martinum Presbyterum, apud Labbeum num. 74. tom. VI. col. 97. litt. B.

(2) Cap. III. v. 14. et 15.

nedictionem ex intimo paterno corde peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX Martii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

PIUS, qui supra.

LVIII.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS
ET VEN. FRATRIBUS ARCHIEPISCOPIS
ET EPISCOPIS

Ac Dilectis Filiis Dioecesium Administratoribus Regni Galliarum

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii Nostri, Ven. Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

In gravissimis, et multiplicibus curis, quas, pro commissa Nobis a supremo Pastorum Principe Iesu Christo omnium Ecclesiarum sollicitudine, assidue sustinemus periculosis hisce temporibus, quibus multi nimis ex eorum numero esse videntur, quos praenunciavit Apostolus, *qui sanam doctrinam non sustinent, et ad sua desideria coacervantes sibi magistros, a veritate auditum avertunt,* non aliud profecto maius neque iucundius experimur solatium, quam cum venerabiles fratres episcopos, qui in eiusdem sollicitudinis Nostrae partem vocati sunt, ad exsequendum officii sui debitum, alacri strenuoque animo incumbere novimus, ac diligentissime curare, ut gregis ipsis crediti saluti opportuniori, qua fieri potest, ratione consu-

lant. Eiusmodi vero solatio nuper praeter modum affecti sumus, cum litteras perlegimus omni officio refertas, quas die 16 Decembris anni superioris plures fraternitatum vestrarum *Parisiis* degentes, et quas die 8 Ianuarii currentis anni ii earundem fraternitatum vestrarum, qui *Romae* commorantur, ad Nos conscripserunt. Ex iis enim cognovimus, postulari a Nobis, ut singulos eius Galliarum regni antistites, ac dioecesium administratores tempore, quo episcopales Sedes vacant, generali indulto amplioribus nonnullis instruamus facultatibus, quo facilius quisque possit gregem sibi creditum pascere, et gubernare.

Haud difficile fuit Nobis agnoscere, quam aequa esset huiusmodi petitio, huic nimirum temporum acerbitati conveniens, quam digna sacris praesulibus, qui sui muneris partes et probe agnoscunt, et pro viribus implere contendunt, quique in praefatarum litterarum fine testimonium reddunt obsequii, quod gallicanae Ecclesiae profitentur erga Sedis apostolicae auctoritatem per eas *declarationes*, quarum duas hic exscribimus.

Prima declaratio est: *Nullam ex facultatibus per Sedem Apostolicam concedendis a se, vel a subdelegatis exercendam esse, absque praevia declaratione in ipso actus tenore inserenda, nimirum « se virtute potestatis ab Apostolica Sede delegatae procedere, notata ipsa concessionis die.»*

Altera vero: *Se stricte observaturos decreta, et ordinationes Summorum Pontificum, conciliorum, consuetudines Ecclesiae Romanae erga gallicanam Ecclesiam in concedendis dispensationibus, censuris tollendis, et in aliis quibuscumque actibus indultorum virtute factis.*

Itaque de consilio selectae ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium congregationis coram Nobis

habitae die 19 Ianuarii proxime praeteriti, fraternitatibus vestris, vobisque, dilecti filii dioecesium administratores, concedimus per praesentes litteras facultates, *pro tempore, et modo in adnexo indulto generali exprimendis,* denuo declarantes, per novam hanc facultatum concessionem nullum praeiudicium irrogatum iri iuribus in praecedenti indulto reservatis, si quae sint, quibusque fruantur sedes aliquae episcopales super alias.

Ceteroquin confortamini, ven. Fratres, in Domino, et in potentia virtutis eius, atque induti armaturam Dei adversus mundi rectores tenebrarum harum, certate, ut coepistis, tamquam strenui milites Christi. Neque enim alio magis, quam tribulationis tempore, oportet sacros antistites solidam illam christianam virtutem, et sacerdotalem praeferre constantiam, qua iuxta monitum Apostoli instructi esse debent, *ut potentes sint exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.* A Nobis autem cuncta tum pontificiae auctoritatis praesidia, tum paternae benevolentiae testimonia semper exspectate, quorum interim pignus vobis, dilecti filii Nostri, ven. Fratres, ac dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX Martii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

PIUS, qui supra.

LIX.

FACULTATES CONCESSAE

AB APOSTOLICA SEDE

Singulis Archiepiscopis, et Episcopis, ac Dioecesium Administratoribus Regni Galliarum, communionem et gratiam Sedis Apostolicae habentibus (iuxta praecedentes Litteras Apostolicas).

1. Absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae quomodolibet reservatis, ac praesertim absolvendi ab omnibus ecclesiasticis censuris quoscumque laicos et ecclesiasticos tam saeculares, quam regulares utriusque sexus, atque eos etiam, qui schismati adhaeserunt, et iuramentum civicum emiserunt, in eoque perstiterunt ultra quadraginta dies in apostolicis litteris diei 13 aprilis superioris anni pro incurrenda *suspensione a divinis* praefinitos, dummodo tamen, seu postquam publice et palam idem iuramentum retractaverint, et fidelium scandalum reparaverint eo meliori modo, quo fieri poterit.

2. Dispensandi promovendos ad ordines tam minores quam sacros, aut iisdem ordinibus iam initiatos *super irregularitatibus* quoquo modo incursis, et etiam ab illa, quam incurrerunt violatores suspensionis latae per easdem apostolicas litteras diei 13 Aprilis; dummodo isti, antequam dispensentur, iuramentum civicum, pure et simpliciter emissum, publice et palam retractent: exceptis tamen irregularitatibus, quae proveniunt ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario; et in his etiam duobus casibus conceditur facultas dispensandi, si praecisa necessitas proborum operariorum ibi fuerit, dummodo tamen quoad homi-

cidium voluntarium ex huiusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

3. Dispensandi, et commutandi *vota simplicia* etiam castitatis ex rationabili causa in alia pia opera, idque erga virorum, ac mulierum congregationes, quarum membra his vinculis constringerentur, non tamen votum religionis.

4. Dispensandi in matrimoniis contractis, et contrahendis super impedimento *publicae honestatis* iustis ex sponsalibus proveniente.

Dispensandi super impedimento *criminis*, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum.

Dispensandi in impedimentis *cognationis spiritualis*, praeterquam inter levantem, et levatum.

Dispensandi in 3 et 4 gradu *consanguinitatis*, *et affinitatis* simplici, et misto, non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis.

Dispensandi etiam in secundo simplici, et misto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, tam in contractis, quam in contrahendis, non solum cum pauperibus, sed etiam cum divitibus.

Omnes vero dispensationes matrimoniales non concedantur, nisi cum clausula: *Dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non exsistat.* Ipsi autem sive archiepiscopi, sive episcopi, sive dioecesium administratores (gravissime singulorum conscientia onerata) omnes et singulas dispensationes matrimoniales a se concessas, et concedendas referre teneantur in *regestrum* authenticum apud ipsos accurate, et occulte servandum, et cum inscriptione nominum dispensandorum.

5. Dispensandi *a defectu aetatis* trium mensium pro sacris ordinibus suscipiendis; salvis tamen indul-

tis dispensandi super defectu aetatis tredecim mensium, iam concessis ab apostolica Sede nonnullis episcopis, et dioecesium administratoribus.

6. Conferendi ordines *extra tempora* in casu utilitatis, vel necessitatis, si de episcopis sermo sit: et dispensandi pro recipiendis ordinibus *extra tempora*, si de administratoribus dioecesium, Sede vacante, agatur.

7. Disponendi *in beneficiis* parochialibus, aliisque titulis ecclesiasticis, quibus adnexa est cura animarum, in gratiam presbyterorum saecularium, vel regularium cuiuscumque instituti, non habita ratione saecularitatis, vel regularitatis huiusmodi titulorum, in defectu tamen presbyterorum saecularium, quibus praefata beneficia saecularia, vel presbyterorum regularium, quibus beneficia regularia conferantur: item conferendi eadem beneficia, non obstante *regula mensium, et usu alternandi* pro illis dioecesibus, in quibus praedicta regula mensium, et praefatus usus alternandi observatur.

8. Concedendi *facultatem* religionis cuiuscumque ordinis, aut congregationis in aliud institutum transeundi, quamvis regula in hoc vigens minus foret austera quam in eo, in quo professionem emiserunt.

9. Concedendi *licentiam* regularibus exemptis, vel non exemptis cuiuscumque ordinis, et instituti, qui extra conventum vivere, et regularem habitum dimittere coacti sunt, induendi vestes saeculares, ecclesiastico tamen viro convenientes, ac permanendi in eo habitu sub obedientia Ordinarii, quatenus superiores regulares non adsint, aut nulla uti possint in suos subditos iurisdictione, firma tamen remanente solemnium votorum obligatione.

10. Praesidendi *electionibus*, easdem confirmandi, dandi obedientias, et generatim in domibus puellarum

directioni regularium subiectarum omnia obeundi munia superiorum immediatorum, quotiescumque iidem absentes erunt, aut impediti, vel in providendo negligentes officio deerunt, ita ut procedant *tamquam Sedis apostolicae delegati;* salvo tamen iure, quod iuxta canonicas sanctiones in easdem domos, sive personas quocumque ex titulo iam habere noscuntur: pariter iisdem, tamquam Sedis apostolicae delegatis, datur facultas concedendi immunitatem religiosis utriusque sexus etiam exemptis, tum omnibus collective, tum speciatim singulis, ab ea regularum aut constitutionum parte observanda, quam in praesenti rerum statu absque gravi incommodo observare nequeunt.

11. *In articulo mortis indulgentiam plenariam impertiendi,* iuxta formulam a Benedicto XIV. praescriptam in sua constitutione data die 7 mensis Aprilis 1747.

12. *Renovandi et prorogandi* indulgentias a Summis Pontificibus religiosis domibus, et congregationibus ad tempus concessas, prout postulabit rerum, vel temporum necessitas; item *transferendi* omnes, et quascumque indulgentias concessas, et assignatas quovis titulo Ecclesiis cathedralibus, aut parochialibus, quas invasere pseudo-pastores, ad illas Ecclesias, in quibus catholici conveniunt divinum officium celebraturi.

13. *Communicandi* praedictas facultates, non tamen illas, quae requirunt Ordinem episcopalem, in totum, vel in parte, prout secundum eorum conscientiam iudicaverint, sacerdotibus idoneis, tam pro omnibus locis, quam pro aliquibus suarum dioecesium, et ad tempus ipsis bene visum, prout magis in Domino expedire iudicaverint; nec non easdem, quatenus opus fuerit, *revocandi,* sive etiam *moderandi,* tam circa illarum usum, quam circa loca, et tempus easdem exercendi.

14. Potestatem *subdelegandi* simplicibus presbyteris facultates, non requirentes Ordinem episcopalem, quae Galliarum archiepiscopis et episcopis concessae fuerunt per indultum generale die 10 mensis Maii superioris anni. Archiepiscopis vero Parisiensi et Lugdunensi, atque antiquioribus episcopis cuiusque provinciae regni Galliarum potestatem subdelegandi etiam facultates illas, quae, iuxta resolutiones die 18 mensis Augusti, speciatim iisdem concessae fuerunt die 26 Septembris proxime praeteriti. Hae autem facultates prorogantur ad tempus huius indulti.

Omnes vero praedictae facultates conceduntur *ad annum* ab hac die incipientem, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit.

Conceduntur praeterea *ea lege*, ut nullo pacto eis liceat iisdem uti extra fines suae dioecesis, neque in locis dominio regis christianissimi non subiectis.

Demum conceduntur *sub ea conditione*, ut archiepiscopi, episcopi, ac dioecesium administratores in exercitio cuiuscumque ex commemoratis facultatibus expresse declarent, illas ab ipsis concedi, *tamquam a Sedis Apostolicae delegatis*: quae declaratio in ipso actus tenore inserenda erit.

Easdem facultates, rescripto S. C. de Propaganda Fide diei 31 Iulii 1794, postea concessit sa. me. Pius VI Archiepiscopo S. Dominici in Indiis Occidentalibus, exercendas in iis praefatae insulae locis, quae Regi Christianissimo subiecta nuper in potestatem et dominium Regis Catholici redacta fuerant vel in posterum redigenda forent, ad quae Gallicanum schisma pervasit.

LIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO

Francorum Regi Christianissimo

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Post Nostras ad regiam maiestatem tuam Litteras die 13 Aprilis anni proxime praeteriti datas, cum nunc nova transmittamus ad Venerabiles Fratres archiepiscopos Galliae, apostolicae sollicitudinis nostrae necessaria huic tempori monumenta, eadem ad te pariter dirigimus memores officii Nostri, unaque te etiam atque etiam rogamus, ut tuam coniungas operam apostolicis curis nostris ad conservationem religionis catholicae, in qua etiam maximum felicitatis regnorum fundamentum est constitutum. Nos interim diu noctuque non intermittimus ad Deum preces nostras fundere pro maiestate Tua, ob cuius statum summo dolore afficimur, tibique, carissime in Christo fili Noster, christianissimae Reginae, Delphino, universaeque regiae familiae apostolicam Benedictionem ex intimo paterno corde depromptam amantissime impertimur.

Datum Romae die XXI Martii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

LX.

VENERABILI FRATRI

ANTONIO

Archiepiscopo Parisiensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quemadmodum transmisimus ad Te, *Venerabilis Frater, et ad ceteros regni Galliarum Metropolitas* Litteras Nostras die 13 Aprilis anni proxime praeteriti datas, ita nunc cum hisce Nostris ad Te, eosdemque itidem metropolitas dirigimus recentes alias admonitionis Litteras, quarum plura ad singulos adnectuntur exempla una cum exemplis earundem in linguam Gallicam versarum. Volumus igitur ut tam per Te, quam per unumquemque vestrum, ipsa exempla in manus perveniant vestrorum Suffraganeorum, et ut quique vestrum det operam, meliori quantum fieri potest modo, ut eadem diffundantur per Capitula, ceterumque clerum, nec non et populum cuiuslibet dioecesis; quod Nos ipsi quoque, quantum in Nobis est, fieri curabimus, efficiemusque etiam, ut ad alias regiones Gallicis finibus conterminas, ac ubique publicentur. Agitur de maximi momenti re, nec proinde dubitamus, quin hic etiam praeclarum vestrum in religionem studium sitis exhibituri. Ipsis monitoriis alias praeterea adiungimus Litteras Nostras cum indulto generali facultatum requisitarum nomine episcoporum Galliae, ut hae etiam communicentur cum Suffraganeis, et dioecesium administratoribus. Tibique, Venerabilis Frater,

ac universo tuae fidei commisso gregi Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, die XXI Martii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

Eodem modo reliquis archiepiscopis et episcopis regni Galliarum, necnon episcopis Yprensi et Spirensi, ac archiepiscopo Trevirensi S. R. I. Principi electori pro partibus dioecesium suarum, quas in regno Galliarum habent.

Eodem exemplo datae sunt eaedem litterae Archiepiscopo Moguntino S. R. I. Principi Electori; hoc tantum interiecto discrimine, quo in his post verba primae periodi « *in gallicam linguam versarum* » ad dita fuere sequentia: *ut pro opportunitate uti possis, pariterque ad alios in Alsatia Episcopos, quorum valde interest, non pauca transmittimus.*

LXI.

VENERABILI FRATRI

IVONI ALEXANDRO

Archiepiscopo Lugdunensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Etsi perspecta satis Nobis esset eximia fraternitatis tuae religio cum sincera inconcussaque erga Nos et sacram hanc Sedem devotione coniunctam, praeclarissimum tamen, et novum utriusque argumentum dedisti in tuis Litteris scriptis die 14 Novembris superioris anni, tum pro illis rebus, quas Nobis ad Nostri animi consolationem significas, tum pro illis, de quibus

Nos consultis super regimine, et dioecesis Augustodunensis a legitimo suo Pastore derelictae, et portionis dioecesis Senonensis a suo Archiepiscopo repudiatae. Quamquam vero ea tuae epistolae pars, quae apostolicae auctoritatis auxilium requirit, maxime spectanda sit in hac Nostra responsione, volumus tamen fraternitati tuae esse exploratum, gratos iucundissimosque sensus in Nobis excitasse, quae ad nostri animi consolationem fuse in praelaudatis Litteris expositi leguntur. Et sane quid iucundius fieri potuit Nobis, qui, licet indigni, Ecclesiae universae praesumus, quam in tuis Litteris expressam cernere imaginem boni Pastoris, prompti ac parati dare animam suam pro ovibus suis ? Quod reapse impavide tu fecisses, nisi sapientes, et boni viri tibi persuasissent, melius tuae Ecclesiae provisum iri, si parumper ab ea discessisses. Qua in discessione, corpore absens, praesens tamen spiritu, invidere te scribis egregiis illis tuae dioecesis Ecclesiasticis, Deoque carissimis viris, qui sanam doctrinam Ecclesiaeque disciplinam cum strenue Lugduni servarent, digni facti sunt, qui pro nomine Iesu contumeliam paterentur, carcerisque poenam subirent. Quid etiam Nobis acceptius illo tuo studio, quod in eadem epistola significas, te scilicet curasse, non solum ut nostrae Litterae diei 13 Aprilis superioris anni, quam celerrime per singulas tuae provinciae dioeceses publicarentur, verum etiam ut fideles tuis hortationibus, ac multo etiam magis tuo exemplo commoti, apostolicis monitis ac praeceptis quam citissime parerent ? Quid denique Nobis optatius, quam tuae epistolae testimonium audire maximam earum nostrarum litterarum copiam per totum Galliarum regnum distributam, innumerosque ecclesiasticos, praesertim in tua dioecesi, apostolica voce commotos iusiurandum civicum retractasse, quamvis, ne id fieret, mun-

rectores tenebrarum harum modis omnibus obstitissent? Haec autem cum legeremus, visa certe Nobis sunt renovari ipsa Ecclesiae primordia, cum scilicet, etsi nominis Iesu Christi inimici omni vi apostolos conarentur deterrere, ne ultra loquerentur in eius Nomine; tamen, illis omni die non cessantibus in templo, et circa domos docere, et evangelizare Christum Iesum, factum est, ut magis augeretur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum. Hi sunt praecipui spiritualis gaudii sensus, quos ex tuis Litteris, Venerabilis Frater, percepimus; maiores etiam in dies Nos recepturos confidimus ex tua illa constantia, quam cum in tristissimis aliis huiusce schismatis malis usus es, tum certe te usurum prae te fers in necessitatibus, ac incommodis, quae eiusdem schismatis causa patiuntur fideles, tum integrae dioecesis Augustodunensis, tum partis dioecesis Senonensis, quos legitimi Pastores Pseudo-episcoporum aggressioni expositos reliquerunt. Istorum fidelium damna te movent, de illis copiose admodum et accurate tu disseris in illa ipsa epistola, atque ut iis certa auctoritate, servatoque iuris ordine succurras, Nos consulis: num tamquam metropolita debeas dioecesis Augustodunensis a proprio legitimo Pastore derelictae regimen assumere; et num tamquam primas possis, ac debeas assumere regimen portionis dioecesis Senonensis a proprio archiepiscopo repudiatae. Qua quidem in re postulationes tuas Nos praevenisse gaudemus, iam ab eo usque tempore, cum die 26 Septembris superioris anni apostolicas tibi facultates delegavimus, quibus uterere pro spirituali regimine tum integrae dioecesis Augustodunensis a suo episcopo prorsus derelictae, tum partis dioecesis Senonensis, quam perperam a Conventu nationali divulsam, aliaeque dioecesi attributam suus archiepiscopus repudiavit. Harum facultatum concessio (quarum

exemplum hisce nostris Litteris alligatum accipies; si quo tempore tuas ad Nos Litteras scripsisti, ad te pervenisset, non dubitamus, quin abstinuisses te a quaestionibus proponendis, de quibus modo Nos consulis; et acquievisses deliberationi, quam cepimus de consilio selectae venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiae Cardinalium congregationis, quemadmodum reliqui Galliarum metropolitani et episcopi acquieverunt; praesertim cum omnis quaestionis vitandae causa, reservata consulto a Nobis fuerint iura omnia, si quae sunt, quae singulares Ecclesiae in alias eiusdem regni Ecclesias habere possunt. Haec reservatio, quae omnes Ecclesias, proindeque etiam tuam in eo, quo sunt statu relinquit, ab alia, quam Nobis proponis quaestione de tuae Ecclesiae primatu, ac de praerogativis, quae ad te, tamquam primatem, pertinere possunt, examinanda Nos eximit. Illud tibi persuadeas cupimus, nihil a Nobis contra hunc tuum primatum factum iri, cum eo erga te animo simus, ut quae tibi debentur, praerogativas augere quam imminuere mallemus. Verumtamen quae tua prudentia est, satis intelligis hanc definiri quaestionem, aequum non esse, nisi auditis iis omnibus, quorum interesse potest. In tuis tu ipse Litteris profiteris a quaestionibus promovendis, rebusque tuis adaugendis alienum te esse hoc tempore, cum de religione agitur ab hostium aggressionibus defendenda. Quare his animi tui sensibus numquam satis celebrandis confisi, non dubitamus, quin deliberationi nostrae adhaerens, apostolicarum quas tibi concessimus, facultatum ope, et dioecesis Augustodunensis, et memoratae partis dioecesis Senonensis afflictis rebus succurras, tuamque hac etiam in re ostendas sollicitudinem, pro salute fidelium integrae dioecesis Augustodunensis, ac partis dioecesis Senonensis, atque in Nos, et apostolicam hanc Sedem ob-

servantiam et studium. Summis interea Nos te laudibus cumulantes profitemur, nullo umquam Nos loco, quantum quidem situm in Nobis erit, defuturos esse virtuti tuae, nullumque fore, vel Pontificiae auctoritatis praesidium, vel paternae nostrae charitatis documentum, quod tuis usibus et votis paratum omni tempore non invenias. Interim tibi, tuoque gregi apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, die XXI Martii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

LXII.

DILECTO FILIO NOSTRO

DOMINICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI RUPEFUCALDIO

Archiepiscopo Rothomagensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Una cum Litteris tuis die 20 Februarii datis transmissam accepimus capsulam reliquiarum beatae Mariae ab Incarnatione, quam Nos in Beatorum numerum nuper adscribere, et fidelium venerationi proponere ob praestantium virtutum merita voluimus. Gratissimum Nobis id munus fuit, et a te profectum, Dilecte Fili Noster, et a Dilectis in Christo filiabus monialibus carmeliti Pontaesii, et ab ipso Dilecto Filio abbate de Chatenoy, quem egregie functum apud Nos fuisse illius causae postulatoris munere recordamur. Habebimus illud penes Nos tamquam praeclarum vestrae pietatis monumentum, quo praesente ferventius

eiusdem Beatae intercessionem apud Deum postulabimus, ut misereri tandem ipse velit nationis Gallicae, atque in istud regnum catholicam fidem reducere, ad eiusque antiquissimum cultum populos miserrime per impietatis fraudes seductos revocare. Utinam ex felici huiusmodi successu illud quam primum consequatur, ut beatae Mariae beatificationis celebritas per te in tua dioecesi indici, peragique cum publici cultus apparatu possit, ex quo Nos ipsi tamquam verissimo indicio reversam, velut e postliminio sanctissimam Christi religionem, alteque in fidelium animis fixam stabilitamque intelligamus. Dum in hac spe sumus, interea tibi, Dilecte Fili Noster, grati animi partes imponimus Nostro nomine peragendas, et cum supra memoratis monialibus ob iucundissimum ad Nos transmissum munus, et cum ipso abbate de Chatenoy, cuius ut constantem agnoscimus pro divina gloria eiusque Ecclesia zelum ac laborem, nec non et singularem in apostolicam Sedem devotionem, ac in Nos observantiam, ita ipsi pristinam nostram benevolentiam, ac merita paternae charitatis studia confirmamus. Quod responsum Nostrum cum ex ore tuo perceperit, Nostrae erga se voluntatis tam praeclarum testem habere laetabimur. Tibique, Dilecte Fili noster, apostolicam benedictionem cum iisdem monialibus, eodemque abbate communicandam peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI Martii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

LXIII.

VENERABILI FRATRI

IOANNI

Episcopo Aleriensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ubi communis est error, ibi communes quoque oportet esse monitiones, quas Apostolicae Sedis, et Ecclesiae charitas praemittendas ducit canonicis poenis. Per novas Litteras, die 19 elapsi mensis *Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, et ven. Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, atque Dilectis Filiis Capitulis, clero, et populo Regni Galliarum* datas, monuimus Nos rursus *generatim* auctores, fautoresque omnes civilis Constitutionis cleri illius Regni, et speciatim Episcopos consecrantes et adsistentes, pseudo-Episcopos consecratos et intrusos, eorumque Vicarios, Episcopos civico iureiurando obstrictos, Parochos intrusos, Vicarios, aliosque Presbyteros ab intrusis Episcopis eiusdem Regni approbatos, et delegatos, praefixo iis, qui *speciatim* moniti sunt, sexaginta dierum spatio pro secunda, aliorumque sexaginta dierum pro tertia monitione.

Dolentes itaque Nos, istiusmodi civilem Constitutionem cleri Galliarum invectam fuisse in istam etiam insulam, Tibi, Ven. Frater, Tuisque collegis Episcopis plura mittimus harum Litterarum typis romanis editarum exempla, veluti Tibi, Tuisque item collegis misimus iam alia exempla priorum Nostrarum monito-

rialium Litterarum diei 13 Aprilis superioris anni 1791, ut quisque Vestrum, quoad eius fieri poterit, circumferendas curet secundas has Litteras, quemadmodum de prioribus praestitit, ad capitula, ad Parochos, ad clerum, populumque singularium dioecesium, utque Nostris suas quoque sollicitudines, et curas adiungat.

Haud ignoramus equidem, ubi primum nuntiatus est in istam insulam priorum Nostrarum Litterarum adventus, nihil istic violentiae, aut iniuriae omissum fuisse, quo Nostrae paternae voces in irritum caderent. Haud quoque ignoramus, eo etiam deventum fuisse initio mensis Maii eiusdem anni 1781, ut licet superstites essent omnes insulae episcopi, electus fuerit, iuxta Constitutionem praefatam, in Episcopum insulae universae *Ignatius Franciscus Guasco* civitatis *Bastiae,* vir senili iam provectus aetate, multumque dissimilis a Ven. Fratre Episcopo Marianensi, cuius et aliorum etiam Episcoporum vicarias vices gessit longo temporis intervallo.

Neque ignoramus, huiusmodi electum, exeunte mense Iunio, nefario ausu curasse, ut sibi in civitate *Aquensi* per intrusum Episcopums acrilege manus imponerentur, omnibus pessumdatis legibus cum veteris, tum novae Ecclesiae disciplinae. Neque item ignoramus pastoralem epistolam, quam ipse ad patriam reversus, et ad spirituale insulae regimen invectus vulgandam curavit, die 10 Iulii eiusdemmet anni, quae nihil praefert, quod sacrum characterem non deturpet atque dedecoret, quaeque iis non cohaereat fictis ac simulatis zeli, charitatis, et cum hac Sancta Sede communionis sensibus, quibus intrusi omnes in suis Pastoralibus usi sunt: sensibus nimirum, qui ipsorum factis adversa fronte pugnant, quorumque falsitatem prioribus et alteris Nostris Litteris satis luculenter deteximus.

Temerariis hisce ausibus adiunxit intrusus electio-

nem Vicariorum, destinationem alicuius confessarii, et Concionatoris, dispensationes matrimoniales concessit, aliosque actus peregit, qui, ex defectu iurisdictionis, irriti declarati iam erant memoratis Nostris Litteris diei 13 Aprilis: nec tantorum criminum cumulo perterrefactus dubitavit nefariam etiam Ordinationem facere, elapso mense Decembri, nec non Confirmationis sacramentum ministrare, quamvis minime ipsum lateret, se, iuxta canones, et earundem Nostrarum Litterarum vi, *suspensum* omnino *esse ab exercitio Ordinis Episcopalis.*

At, si adeo misere erravit intrusus una cum asseclis et fautoribus suis, illud sane non levi afficit Nos consolatione, quod primas Nostras monitiones multae retractationes exceperint, praesertim in provincia *Balagnae,* quodque boni magno item numero ita in sua constantia perstiterint, ut multi ex utroque clero Ecclesiastici, et multi etiam saeculares invicto animo gravissimas iniurias pertulerint, et carceres etiam, alii per plures dies, alii per quatuor menses tolerarint.

Gloriosum item constantiae suae monumentum quinque egregii episcopi ediderunt, quorum alter perstat adhuc in insula firmiter perseverans in novitatum detestatione, et quorum alii quatuor a suis discesserunt dioecesibus, et ab eadem insula per violentiam adacti, veluti factum est de Venerabilibus Fratribus Marianensi, et Nebiensi Episcopis. Nam horum primus, nulla interiecta mora, est ad discedendum coactus; alter vero, postquam septemdecim dierum spatio, adstantibus continuo militibus fuerat domi detentus; ceteri autem non alia ex causa discesserunt, nisi quia maiores aerumnas, et mala gregibus suis timuerunt, quemadmodum reapse timuisse constat Venerabilem Fratrem Adiacensem Episcopum, et te, qui sub finem praeteriti anni non destitisti tuas adversus civilem cleri Constitutio-

Aprilis superioris anni 1791, quasque Vos, Venerabiles Fratres, ducti non absimili spiritu mansuetudinis evulgandas curastis, habuerint penes Capitula, Parochos, clerum, Magistratus, et populos, et apud multos etiam Gallicae Constitutionis fautores, vim talem ac tantam, ut ad totum usque Februarium mensem huius anni, irriti fere omnes evaserint adversantium nefarii conatus pluries adhibiti, et per Decretum diei 14 Septembris elapsi anni denuo instaurati, quo Nationalis Conventus, frustra obnitente et reluctante magna et saniori eius parte, e medio sublatis aliis quatuor specialibus Decretis antea abs se editis, deletoque item atque everso alio generali Decreto, iam in antecessum lato, de nullis umquam alienis ditionibus occupandis, et cunctis denique pessumdatis humanis legibus atque divinis, cum indignatione omnium Europae Principum ausus est violentas manus iniicere in Nostram Avenionensem, et Comitatus Venaisini ditionem, eamque Regno Galliarum adiungere.

Ad optimum exitum comprobandum, quem Nostrae priores hortationes adversus tam indigna molimina consequutae sunt, possemus equidem Nos distincta oratione prosequi egregias res gestas, quibus Vos, Ven. Fratres ac Dilecti Filii, religionem Vestram imprimis, quae Nobis maxime curae est, deindeque Vestram etiam in Nos fidelitatem ornastis, admirabili constantia tolerantes alii bonorum fortunarumque amissionem, alii exsilium, alii iniurias atque insectationes, alii carcerem, et alii denique internecionem ac mortem ipsam. Ex quo factum est, ut *Benedictum Franciscum Malierium* pseudo-Vicarium capitularem Avenionensis Ecclesiae, quem Nos iam ab Ordinis exercitio suspendimus prioribus Nostris Litteris, pauci admodum sequuti sint Ecclesiastici et laici, non longe ipsius moribus et ingenio dissimiles, et patratorum

criminum gravitate satis noti; quibus ille uti debuit tum in peragendis Ecclesiae muniis, veluti aperte colligitur ex edicto in vulgus edito die 10 Iunii 1791, qua indicta fuit ab ipso supplicatio Festi Corporis Domini, tum in quibusdam pseudo-Parochis delegandis, quos agnoscere maxima populi pars religiose ac publice recusavit, spretis et horrori habitis tam delegante, quam delegatis.

Alia multa religionis, et fidelitatis vestrae argumenta facile Nobis esset in medium afferre, ad vestrum gloriae et honoris incrementum; sed consulto ab iis commemorandis abstinemus, cum eadem in unum collegerint homines minime suspecti (illi scilicet, quos vocant *les comités des pétition et de surveillance*), in relatione per eos facta ad Conventum Gallicanum, in sessione diei 11 Februarii proxime elapsi, de rerum Avenionensium et Comitatus Venaisini statu. Quae quidem relatio cum typis edita sit, et longe lateque vulgata, ignorat nemo, spiritum publicum mutatum adeo esse Avenione, multoque magis Carpentoracti, et in aliis Comitatus locis, ut pauci essent, et palam contemnerentur ii, qui Constitutionem Gallicanam propugnabant, quosque Gallici relatores tot tantisque laudibus cumulant; contra adeo ingentem esse eorum numerum, quos ipsi seditiosos ac seductores appellant eorum scilicet, qui inter Ecclesiasticos, inter magistratus, et inter laicos, religione erga Deum, et fide erga Principem suum enitebant, ut proximus esset, et evitari omnino non posset rerum regressus ad eum statum, in quo erant ante defectionem.

Gaudete atque exsultate, ven. Fratres, qui tum zelo, tum pietate, tum charitate excelluistis, tuque praesertim, Carpentoractensis Episcope, qui, ob egregia tua merita, maiorem tibi laudem vindicasti: et vos una simul gaudete, dilecti Filii, qui vestris legitimis ad-

iuncti pastoribus eximia pietatis vestrae argumenta edidistis; gaudete omnes, inquimus, eas propter iniurias, quae vobis in huiusmodi relatione inferuntur, et quae in vestrum convertuntur honorem et decus; atque illud cum S. Augustino mementote, quod *etiam Dominus Iesus Christus appellatus fuit seductor, ad solatium servorum suorum, quando dicuntur seductores* (1).

Si itaque huiusmodi est status Avenionis et Comitatus Venaisini, ad mensem usque Februarium proxime elapsum, iure ac merito in certam spem adducimur fore, ut pauci etiam, qui in errore et in infidelitate persstiterunt, resipiscant, et multorum partes sequantur. Sed dissimulare nequaquam possumus novum criminis genus, quod a Conventu nationali patratum est decreto diei 3 superioris mensis Martii. Hoc enim decreto ius sibi arrogavit dividendi nostras Avenionis et Comitatus Venaisini ditiones in duos districtus, easdemque subiicere duplici Rhodani ac Drumae partitioni, quam Galli dicunt *départemement*, unaque opera edicere, ut leges omnes Gallici imperii nulla interiecta mora in huiusmodi etiam Nostra ditione exsecutioni mandentur, utque singulae municipalitates renoventur. Novis praeterea latis subinde decretis revocari iussit militum aciem *de la Marck*, eique subrogari alios milites; quin immo ipsis Parisiorum populis horrentibus atque admirantibus, eo etiam devenit, ut iusserit carceribus liberari ea monstra, quae die 16 Octobris elapsi anni, tam indigno tamque pervulgato facinore se polluerunt; et non alia ratione id iusserit, nisi quia in magnis rerum conversionibus haberi pro delictis nequeant graviora scelera, quae gentes etiam barbarae atque incultae detestantur et exhorrescunt.

(1) Super Psalm. LXIII. vers. 7.

Huiusmodi autem est furor, quo aestuant atque abripiuntur inimici, ut Nos immenso animi Nostri dolore iam videamus obnoxios vos, ven. Fratres, ac dilecti Filii, omnibus illis insectationibus, quae ab impietate, a schismate, et ab haeresi excogitari umquam potuerunt, ita ut iam Nostris obversetur oculis tamquam proximum momentum illud, quo novum et crudelius periculum fiat de vestra religione ac fide. Iam ad Nos rumor aliquis delatus est de nova huiusmodi insectatione, non contra homines modo, sed, quod sine animi horrore audiri non potest, quodque nefaria insectantium ingenia patefacit, adversus etiam sacras imagines. Quo in rerum discrimine opus maxime est, ut Nostrae voces ad vos deferantur.

Ad religionem quod pertinet, vos minime latet, nequaquam sufficere, ut iniuriae per aliquod dumtaxat tempus invicto ferantur animo; sed opus esse in eadem constantia ad finem usque perseverare, et se suumque caput, si ita res postulet, devovere; non enim qui inceperit, sed *qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit* (1). Ea, quam hactenus prae vobis constantiam tulistis, sperare Nos iubet fore, ut aeque constantes futuri sitis in posterum, adversus quodcumque, sive fortunarum, sive vitae etiam discrimen, quod Nobiscum licet absentibus erit sane commune, quippe qui vestras aerumnas uti Nostras habebimus.

Ut autem boni magis in suo proposito confirmentur, et ut malis novum benignitatis Nostrae spatium concedatur ad resipiscendum, sicuti Nos ad populos Nostrae ditionis Avenionensis et Comitatus Venaisini extendendas duximus priores commonitorias litteras diei 13 Aprilis anni 1791, a Nobis datas dilectis Fi-

(1) Matth. cap. X. vers. 22.

*

liis Nostris S. R. E. Cardinalibus, et ven. Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, ac dilectis Filiis Capitulis; clero, et populo regni Galliarum; ita nunc extendimus ad eosdem populos novas litteras commonitorias diei 19 praeteriti mensis Martii, ad eosdem missas Archiepiscopos, Episcopos, Capitula, clerum et populum Galliarum, praefigentes spatium sexaginta dierum, a die hisce adscripta litteris numerandorum pro secunda, aliorumque sexaginta dierum pro tertia monitione, idque praesertim *Benedicto Francisco Malierio*, pseudo-vicario capitulari Avenionensis Ecclesiaé, parochis, vicariis, aliisque presbyteris, qui a legitimis pastoribus non delegati regimen spirituale invasissent, et aliis ecclesiasticis quibuscumque, qui illud deinceps invaderent, etiam in vim tentatae divisionis ditionum Nostrarum, iuxta diversas classes, distincte et luculenter expressas in novis Nostris litteris, quarum vobis, ven. Fratres, complura exempla mittimus, ut ea hisce litteris iuncta, quantum in vobis erit, circumferantur ad Capitula, ad clerum, et ad populum Avenionensem et Comitatensem; dum interea Nobis etiam curae erit, ut eaedem non in istas modo, sed in proximas etiam regiones ubique vulgentur, ita ut nemo illas ignoret.

Quemadmodum vero intuentes Nos aerumnosum Gallicanarum rerum statum, per alias litteras eiusdem diei 19 Martii concessimus Archiepiscopis, et Episcopis, ac dioecesium administratoribus regni Galliarum peculiares facultates, quibus cito possent spirituali populorum bono consulere; ita cum minus aerumnosus non sit status rerum Avenionensium et Venaisini Comitatus, ad vos etiam extendimus, ven. Fratres, easdem facultates, cum iisdem conditionibus comprehensis in Indulto, cuius nonnulla exempla hisce alligata litteris invenietis.

Hae sunt providentiae, quae ad sartam tectamque tuendam religionem valent, et ad expeditiores reddendas rationes ac vias. Ad fidelitatem vero quod spectat, Nobis uti legitimo Principi debitam, haud ignoratis, Ven. Fratres, ac dilecti Filii, veluti magna in parte res a vobis gestae demonstrant, quam arcto vinculo obstricti teneamini ad illam servandam, cum divino praecepto quisque iubeatur *legitimis obedire potestatibus* (1), cumque id postulet iusiurandum ipsum, quod vos, non secus atque maiores vestri, apostolicae huic Sedi praestitistis, ita ut debeant boni simul ac mali, quoad ipsorum fieri poterit, nihil omittere earum rerum, quae primos in qua sunt fidelitate continere, quaeque secundos ad obedientiam possint reducere, a qua secesserunt; idque ut a necessitate Nos liberent in usum vocandi fortiora remedia, et manus meritis poenis adhibendi.

Egimus Nos cum ipsis rebellibus non secus atque cum filiis, et in ipso perduellionis aestu dedimus Nos conspicua utrisque subsidia. Scimus antiquum regimen huius sanctae Sedis ab omni vectigali liberum atque immune invidiam excitasse omnium populorum; et saepius declaravimus, si qui, Nobis insciis, istuc irrepsissent abusus, eos illico per Nos ablatum et emendatum iri; cum nequeant populorum arbitrio imperia everti, novaeque regiminis formae temere induci. Hinc nihil per Nos, quod fieri posset, fuit praetermissum, ita ut sperare possimus futurum, ut rebelles ipsi, ubi fanatismi aestus aliquantulum deferbuerit, agnoscere debeant horrorem suorum criminum, onus novorum vectigalium ac servitutum, totque aliorum gravium malorum, quibus hactenus caruerunt, quibusque sub specie simulatae et commentitiae libertatis erunt certo

(1) S. Paul. Epist. ad Rom. cap. XIII. vers. 1, et ad Hebr. c. XIII. vers. 17.

certius obnoxii, non sine excidio ipsorum patriae, nisi cito a perduellione recedant, ad quam duos iam annos per inobedientiam, per corruptionem, et per omne violentiae genus rapti sunt.

Nos itaque in ea conquiescentes, quam vobiscum huc usque servavimus, paterne agendi ratione, et in perspicua Nostrae causae iustitia, quam Nostro cum gaudio principes et reges omnes, atque universus orbis agnovit, nil umquam cogitantes de Nostris iuribus quoquo modo remittendis, aut de quavis compensatione pertractanda super principatu, quem Nobis vindicant ipsius Conventus nationalis priora decreta, quemque Nobis confirmat tum legitimi inconcussique tituli, tum quinque et amplius saeculorum possessio, non solum hic denuo ratum habemus Nostrum chirographum diei 5 Novembris 1791, quo haerentes praeteritis protestationibus, et patefacta omnibus luculenter falsitate atque calumnia earum rerum, quae ad excusandam iniquam occupationem praetexebantur, nullum declaravimus decretum diei 14 Septembris eiusdem anni; sed declaramus insuper inania, irrita, nulliusque roboris ac momenti novum decretum diei 3 Martii, et quae subinde prodierunt, aut fortasse prodibunt in Nostri principatus detrimentum, una cum actibus omnibus, qui ausu temerario perpetrati iam sint, aut perpetrentur, imperantes atque iubentes, ut hae Nostrae litterae una cum aliis litteris diei 23 Aprilis 1791, praedicto chirographo uniantur, et ad perpetuam memoriam in secreto Nostrae Camerae archivio asserventur.

Tantus est vester zelus, ven. fratres, ac dilecti filii, ut inutile reputemus novas vobis hortationes adiungere. Convertimini Nobiscum indubia spe freti ad Deum, eumque indesinenter orate, veluti Nos etiam eundem oramus, ut iustitiae suae rigorem avertat,

et ea, qua praeditus est, misericordia, mentes rebellium, eorumque fautorum illustret, utque eorundem animos ferventes efficiat obsequio et veneratione erga sanctam religionem suam, et studio ac spiritu obedientiae erga hanc apostolicam Sedem. Hisce desideriis incensi vobis, ven. fratres, vobisque, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XIX Aprilis MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

PIUS, qui supra.

LXV.

EPIST. CARDINALIS A ZELADA

AD EPISCOPUM LUCIONEN.

CIRCA MATRIMONIA.

Illustrissime et Reverendissime Domine

Perlatae sunt SSmo Domino Nostro Amplitudinis tuae litterae cum litteris, quas *Lucionensis* dioecesis parochi ad te transmiserunt. Ex his incredibile dictu est quanto Sanctitas Sua superabundaverit gaudio in omni tribulatione fidelium Lucionensis dioecesis, audiens eorum fidem ac studium in Catholica Religione tuenda, nec non patientiam in perferendis malis, quibus luctuosissimis hisce temporibus ipsi affliguntur. Hinc ut quantocitius fieri posset eisdem fidelibus opitularetur, atque petitionibus tuis satisfaceret, eas selectae Cardinalium Congregationi examinandas commisit; quae autem a praefata Congregatione decreta sunt, ac probata ab eadem Sanctitate Sua, Amplitudini tuae me significare mandavit. Exponis itaque non

ita pridem a Nationali Conventu conditum decretum fuisse, quo praescribitur, matrimonia in posterum in regno Galliarum celebrari debere coram Municipalitate, sive coram officiali a Municipalitate delecto; a Municipalitate vero seu a praememorato officiali recipi coram quatuor testibus debere declarationem a futuris coniugibus emittendam sub hac forma verborum: « declaro me sumere N. N. in matrimonium; » qua declaratione vicissim a duobus coniugibus facta, ab officiali publico pronunciandum esse, eos in nomine legis coniunctos fore; praefato autem Nationalis Conventus decreto nihil cautum esse ais circa formam a Tridentino Concilio praescriptam; quae profecto, si nihil aliud obstaret, in vim tantummodo praememorati decreti observari ad amussim posset. At formam a praelaudato Tridentino Concilio praescriptam pro coniugiis ineundis in ea parte, quae respicit parochi praesentiam, observari modo non posse a maiori parte fidelium dioecesis Lucionensis moleste fers, propter legitimorum parochorum deficientiam; qua ex re mala et incommoda gravissima oboritura praevides. Hinc ut praememorati fideles in circumstantiis adeo luctuosis constituti, liberi declarentur ab observantia decreti Tridentini Concilii pro coniugiorum celebratione, primum animadvertis non posse certo statui, notissimum Concilii Tridentinii decretum, quod legitur Sess. 24 de ref. Matr. c. 1, publicatum reapse fuisse in singulis Galliarum Ecclesiis, quam quidem publicationis formam expresse requirit Tridentinum, ut post 30 dies a publicatione facta incipiat obligare. Sed de hoc ne tu quidem nimis instas, quoniam non magni momenti esse probe agnoscis: illud potius urges, et conficere conaris, quod posito etiam, Tridentini Concilii decretum fuisse in singulis Galliarum paroeciis publicatum, non idcirco nulla ac irrita censeri debe-

rent matrimonia sine parochi praesentia contracta iis in locis, in quibus parochi praesentia haberi non possit. In cuius rei confirmationem, et clarissimorum virorum testimonia profers, et auctoritatem potissimum S. Congregationis Concilii. Ab ea enim pluries resolutum esse adnotas, satisfieri menti Tridentini Concilii celebrando matrimonium coram testibus, ubi parochi praesentia haberi nequeat. Ex quo inferre te posse arbitraris, valida censeri debere matrimonia sine parochi praesentia celebrata ab iis fidelibus Lucionensis dioecesis, qui parocho carere coguntur; quoniam in vim praememorati decreti Nationalis Conventus matrimonia contrahi debent coram Municipalitate, seu officiali ab ipsa Municipalitate delecto, quodque multum interest ad id, de quo agitur, etiam coram quatuor testibus. Haec summa est eorum; quae in tua epistola continentur, atque ferme haec ipsa complectitur epistola, quam Lucionensis dioecesis parochi ad te transmiserunt.

Ut igitur iis omnibus, quae proponuntur, opportunum daretur responsum, haec, quae sequuntur, a praefata Cardinalium Congregatione constituta fuerunt:—1. Frustra quaestionem modo moveri, num Tridentini Concilii decretum publicatum in singulis Galliarum Ecclesiis fuerit. Cum enim certo certius constet in Ecclesiis Galliarum iam usu receptum esse, ut matrimonia celebrentur coram parocho et duobus vel tribus testibus tamquam in exsecutionem decreti Concilii Tridentini, hoc profecto satis debet esse, ut praesumatur facta eiusdem decreti publicatio, sicut aperte legitur in resolutione edita a S. Congregatione Concilii die 26 Septembris 1602: « publicationem praesumi, ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilii observatum. » Idemque statutum legitur in alia resolutione die 30

Martii anno 1669.—2. Lucionensis dioecesis *fideles abstinere omnino debere a contrahendo matrimonio coram Municipalitate aut coram officiali a Municipalitate selecto;* cum enim tum ii, qui Municipalitatem componunt, tum officialis a Municipalitate electus sint publici functionarii, ut aiunt, iuramentum a Conventu Nationali praescriptum emiserint necessum est; quapropter tamquam schismaticis aut ad minus tamquam schismatis fautores iure merito reputantur. Ex his autem illud consequens est, abstinere omnino fideles debere a contrahendo matrimonio coram Municipalitate seu coram officiali a Municipalitate electo, ne ulla schismatis contagione polluantur.—3. Curam idcirco fideles debere *contrahere matrimonium coram testibus, et quidem, quoad fieri possit, catholicis, priusquam Municipalitati se praesentes sistant,* ut praescriptam a Nationali Conventu declarationem faciant. Et quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino legitimum parochum habere, istorum profecto coniugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, *et valida, et licita* erunt, ut saepe saepius declaratum fuit a S. Congregatione Concilii Tridentini interprete.—4. *Nihil* tamen *impedimento esse, quominus fideles ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam a Nationali Conventu declarationem faciant, illud semper prae oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri.*—5. Demum in praefata declaratione facienda prae oculis haberi debere saluberrimas regulas, quae ea de re leguntur in instructione iussu Sanctitatis Suae exarata die 26 Septembris 1791 super quibusdam quaestionibus a Galliarum Episcopis propositis.

Romae, die XXVIII Maii MDCCXCII.

F. X. Card. de Zelada.

LXVI.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS

S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS ET VEN. ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

Dilectis Filiis Dioecesibus Administratoribus Regni Galliarum.

Dilecti Filii Nostri, Ven. Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ubi Lutetiam Parisiorum pervenit apostolicum quarundam extraordinariarum facultatum indultum, quas Nos die 19 superioris Martii concessimus omnibus archiepiscopis, episcopis et administratoribus dioecesium regni Galliarum, confestim confratres vestri in ea urbe commorantes, qui nomine totius coetus episcopalis indultum ipsum impetraverant, facile intellexerunt, inter facultates sibi concessas omissam fuisse facultatem absolvendi Ecclesiasticos intrusos: et arbitrantes, hoc ipsum nonnisi ex huiusmodi casus oblivione accidisse, Nos iterum supplices adierunt etiam atque etiam postulantes, ut hanc quoque facultatem nova formula comprehenderemus.

Subinde vestri item confratres dubitare se declararunt, utrum facultas primo eiusdem indulti articulo comprehensa, *absolvendi ab omnibus censuris quoscumque laicos, et Ecclesiasticos tam saeculares, quam regulares utriusque sexus, atque eos etiam, qui schismati adhaeserunt, et iuramentum civicum emiserunt in eoque perstiterunt, ultra quadraginta dies, in apostolicis litteris diei 13 Aprilis superioris anni, pro incurrenda suspensione a divinis, praefinitos,* adiun-

ctam haberet potestatem absolvendi Ecclesiasticos etiam intrusos, quorum crimen illorum antecellit, qui civico se tantum sacramento obstrinxerunt, et de quibus in eo articulo specialis mentio facta fuerat.

In hac rerum ambiguitate sancte religioseque iidem episcopi professi sunt, se quam maxime abhorrere a praetergrediendis limitibus facultatum sibi tributarum; adeoque iterum ad Nos confugientes cuiuscumque dubietatis tollendae causa, aperte Nobis significarunt, se maxime optare, ut episcopis tribueretur facultas intrusis conciliandi Ecclesiae gratiam, eosque a censuris solvendi; cum haec facultas non solum nihil haberet periculi, sed magno etiam religioni esse posset emolumento.

Vestra haec agendi ratio, dilecti filii Nostri, et ven. fratres, ac dilecti filii, digna sane est, quam summis laudibus, sicut alias fecimus, extollamus. Nos itaque parati ac prompti Vestris petitionibus obsecundandis in iis omnibus, quae in Domino expedire Nobis videntur, in animum Nostrum inducimus novam Vobis impertiri facultatem, quae latius pateat, et quae egregiis Vestris sensibus respondeat, quaeque uno eodemque tempore et canonicis regulis, et Ecclesiae consuetudini satisfaciat.

Illud tamen in antecessum animadvertamus oportet, quod sedulo perpensis iis, quae ad Nos prima et altera vice detulistis, liquido patet, illas inter facultates, quae indulto generali continentur, comprehensam per Nos minime fuisse facultatem absolvendi Ecclesiasticos intrusos. Cuius quidem facultatis omissio ex oblivione proficisci non potuit; dum enim Nostris obversarentur oculis apostolicae Nostrae litterae diei 13 Aprilis anni 1791, in quibus non tantum fiebat mentio de crimine praestiti civici sacramenti, sed de alio etiam crimine sermo habebatur, quo sese polluerant

Ecclesiarum episcopalium et parochialium invasores (1), ea Nos fugere minime poterant, quae tam ad primum, quam ad secundum crimen pertinebant. Quod si alterum ex illis a Nobis fuit in cit. articulo I. conceptis verbis commemoratum, alterum silentio praeteritum, nil magis luculenter, magisque dilucide argui potest, quam casum, de quo verba fecimus, per Nos concessum fuisse; casum vero, de quo facta nulla mentio est, fuisse Nobis unice reservatum.

Cur autem minime concederemus aliis, sed Nobis dumtaxat reservaremus hanc intrusos absolvendi facultatem, in causa profecto fuit maximum illud, quod unum inter, alterumque flagitium intercedit discrimen, quod sane a vestris ipsis confratribus animadversum est, quodque in omnium oculos incurrit. Etenim quamvis gravi crimine ii teneantur, qui civico sacramento sese obstrinxerunt, vi cuius Religione interposita unusquisque promittit, servaturum se constitutionem, quae iuxta sententiam totius episcopalis coetus Gallicani, iuxtaque solemnem Declarationem Nostram est partim haeretica, et partim schismatica: multo tamen maiori et graviori flagitio tenetur ille, qui prudens ac sciens ad exsequendum progreditur id, quod iureiurando promiserat; quique sive sacrilege, sive rite consecratus, si sit episcopus; sive sacrilege, sive rite ordinatus, si Presbyter sit, illegitimam nactus missionem ac potestatem, Ecclesias, vel episcopales, vel parochiales invadit, quique demum segregatus ab hac apostolica Sede et ab legitimis episcopis, tot peccatis peccata quotidie inaudita celeritate cumulat, quot illegitimae iurisdictionis actus exercet; dum magis augusta Sacramenta profanat, dum populos misere in errorem inducit, dum novam invehit in regnum con-

(1) Vid. Epist. XXVII. §. *Videntes*, pag. 154. et §. *Insuper* pag. 155. et seq.

stitutionalem Ecclesiam, re, legibus, et nomine a Iesu Christi Ecclesia diversam, dumque manu sua schismati latissimam sternit viam. Quod ut e medio tollatur, iure ac merito ad sanctam hanc Sedem confugiendum erat, utpote quae iniuria praesertim afficitur, quaeque opportunum etiam potest adhibere indulgentiae modum, non facile ordinateque servandum, ubi absolvendi facultas multorum permitteretur arbitrio.

Minime certe vos latet, ven. Fratres, quanta severitate usa sit Ecclesia adversus huiusmodi reos. Animadvertens enim id quod intercedit discrimen eos inter, qui suo infortunio parentes haereticos habuerunt, et inter eos, qui e parentibus catholicis progeniti sponte sua ad haereticorum partes transgrediuntur, aliter factos, aliter natos haereticos atque schismaticos semper tractavit, in illos longe rigidior, utpote longe gravius reos. Hic agendi rigor multo etiam magis adhibitus est in Ecclesiasticos viros, ita ut sciamus adversus ipsos adhibitas fuisse minas; ut *si quis studio ad haereticum ierit, et susceperit ordinationem, sine receptione sit* (1).

Hunc Ecclesiae agendi rigorem commemorat S. Innocentius I. Scribens enim ad Rufum, et alios Macedoniae episcopos docuit, episcopum, aut clericum, in haeresi, aut schismate ordinatum, seu in illud postmodum lapsum, laica tantum communione gaudere, iuxta *veteres regulas, quas ab apostolis, vel apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit* (2). Et quamvis a Patribus Concilii Nicaeni I quidam adhibitus

(1) Verba sunt Constantini Cypriorum Metropolitae in Actione prima Synodi VII. generalis, relat. a Labbeo in noviss. Collect. Concil. Antonii Zatta tom. XII. col. 1048. post lit. C.

(2) Epist. XXII. ad Rufum, aliosque Episcopos Macedoniae apud Labbeum cit. noviss. Collect. Antonii Zatta tom. III. col. 1060. et seq. num. 4. et 5.

fuerit modus erga Novatianos, dum Can. VIII indulserunt, ut *si quando venerint ad Ecclesiam, clerici in clero permaneant, et is, qui nominatur apud eos episcopus, honorem Presbyterii possideat, nisi forte placuerit episcopo nominis eum honore censeri* (1); voluerunt tamen, ut anteire deberent certiora argumenta eiurati erroris, adeoque nonnulla ab iis praestanda esse decreverunt; scilicet primo: *Haec autem prae omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod Catholicae et apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant et sequantur;* decreverunt secundo, ut etiam in eos, qui in persecutione prolapsi sunt, ad faciendum eorum resipiscentiae periculum, servarentur *et spatia constituta, et tempora definita* (2), quatuor illi scilicet poenitentiae gradus, qui iuxta tunc vigentem disciplinam debebant reconciliationem, sacramentorumque susceptionem antevertere (3); et decreverunt denique, ut Ecclesias occupatas abdicarent, easque episcopis legitimis dimitterent. Etenim illud certum est, veluti memorati patres dixerunt, *quod episcopus Ecclesiae habebit episcopi dignitatem..... ne in una civitate duo episcopi probentur exsistere* (4).

Cum Rufus Thessalonicensis episcopus huius Nicaeni canonis vi clericos a Photinianis episcopis ordinatos recipere vellet, eaque de re consuluisset S. Innocentium I, respondit Pontifex: *Possum dicere de solis hoc Novatianis esse praeceptum, nec ad aliarum haeresum clericos pertinere. Nam si utique de omnibus ita definirent, addissent a Novatianis, aliisque haereticis revertentes debere in suum ordinem recipi* (5).

(1) Cit. Can. VIII. apud Labbeum cit. edit. tom. II. col. 680.

(2) Cit. Can. VIII.

(3) Can. XI. eiusdem Concilii Nicaeni I. penes Labbeum in cit. Collect. noviss. tom. II. col. 681.

(4) Cit. Can. VIII.

(5) Cit. Epist. XXII. apud Labbeum cit. tom. III. col. 1061. num. 5.

Immo sanctus Pontifex hac occasione docuit, obiici non posse peculiarem indulgentiam aliquando adhibitam, eo quod satis constaret, actum fuisse quasi dispensatorie *pro remedio, ac necessitate temporis* (1).

Neque alia certe fuit S. Hieronymi sententia. Disserens enim de episcopis lapsis in Synodo Ariminensi, censuit, eos de soliis episcopalibus deiectos debuisse inter laicos redigi ad perpetuas de scelere lacrimas effundendas (2). Consideravit tamen sanctus Doctor, posse nonnihil de huiusmodi rigore aliquando remitti (3); utque remissio huiusmodi certis esset regulis circumscripta, in Synodo Alexandrina, cui S. Athanasius, Hilarius Pictaviensis, et Eusebius Vercellensis interfuerunt, placuit statuere, quoad sceleris principes atque auctores, quos error excusare non poterat, servari illaesum antiquum Ecclesiae canonem, alios vero poenitentes Ecclesiae posse sociari; consensitque Romana, et Occidentalis omnis Ecclesia, veluti idem S. Hieronymus testatur (4).

Hinc minime Nos recedemus ab aequitate et indulgentia, postmodum in Ecclesiam recepta, si postulantibus vobis generatim intrusorum absolvendorum facultatem, secernentur a Nobis Presbyteri, aliique inferioris ordinis Ecclesiastici Viri ab archiepiscopis, et ab episcopis ordinis superioris. Ad Presbyteros, aliosque Ecclesiasticos Viros quod spectat, per Nos in quarta, et quinta classe comprehensos apostolicarum litterarum diei 19 praeteriti Martii (5), concedimus ad annum unicuique vestrum, dilecti Filii No-

(1) Cit. Epist. XXII. num. 5.

(2) Comment. in Ezechielem Proph. lib.XIII. cap. XLIV. §. *Haec dicit*, edit. Venet. an. 1768. tom. V. part. I. pag. 542, 543, 544 et 545.

(3) Cit. Comment. in Ezechielem cit. pag. 545. §. *Quidquid.*

(4) Tom. II. adversus Luciferianos, cuius verba referuntur apud Labbeum cit. tom. III. col. 843.

(5) Vid. num. LVII. §. *Parochos*, et seq. pag. 277.

stri, ac ven. Fratres, et dilecti Filii, facultatem absolvendi per Eos ipsos, aut per Presbyteros delegandos a vobis, eos omnes, qui sive illegitime, sive legitime ordinati, aut integras parochias, aut earum partem invaserint, et actus exercuerint sibi ab episcopis intrusis delegatos, atque hos in gratiam Ecclesiae conciliandi; ita ut ii, iuxta indulgentiam memorati Canonis VIII Nicaeni Concilii, permaneant in clero.

Et ne absolutiones huiusmodi inconsulto concedantur, aut sint inter se difformes, inhaerentes Nos praedicto Concilio Nicaeno, et benigniori Ecclesiae disciplinae, iubemus intrusorum absolvi neminem; nisi prius scripto eiuraverit civicum sacramentum, illosque errores, qui civili constitutione cleri gallicani continentur, et nisi declaraverit speciatim (1) sacrilegas esse ordinationes ab intrusis sive receptas, sive peractas; irritam esse collatam ab iis auctoritatem, iniustamque et nullam esse intrusionem una cum actibus inde consequutis; et nisi iureiurando promiserit, se apostolicae huic Sedi (2), legitimisque episcopis obtemperaturum; et nisi denique parochiam, eiusve partem reapse abdicaverit, eorumque eiuratio atque abdicatio publica fuerit, perinde ac crimen quoque publicum fuit, iniunctis eorum singulis, *quantum spiritus et prudentia suggesserit,* ut aiunt Tridentini patres (3), *pro qualitate criminum, et poenitentium facultate salutaribus et convenientibus satisfactionibus,* loco publicae poenitentiae graduum quos vigentes Ni-

(1) Eiuratio errorum articulata esse debet iuxta cit. Can. VIII Concilii Nicaeni, nec non iuxta Acta alterius Concilii Nicaeni II apud Labbeum cit. edit. noviss. tom. XII. col. 1008. lit. E.

(2) Haec conditio expresse adiecta fuit in formula, qua recepti fuerunt ad communionem Schismatici in Concilio Lateranensi III, ut videre est apud Nat. Alexand. Hist. Eccles. saec. XI. et XII. Dissert. IX. edit. Paris. an. 1744. tom. XIV. pag. 368.

(3) Sess. 14. cap. VIII.

Litterarum in forma Brevis, Gallica et Germanic lingua conscriptarum, perinde ac si illae datae fuissent *à Rome, à Sainte Marie Majeure, sous l'Anneau du Pêcheur, le 2 Avril 1792* (1), quatuordecim scilicet diebus post ultimas nostras Litteras, quibus adscripta est dies 19 praeteriti Martii. Hae falsae Litterae, quarum initium est: *Notre cœur paternel,* inaudita temeritate falsas declarant omnes apostolicas Litteras a Nobis exaratas atque vulgatas adversus civilem constitutionem cleri Galliarum, eiusque auctores atque fautores (2), exsuunt sanctam hanc Sedem suo iurisdictionis primatu (3), plurimis laudibus prosequuntur universam constitutionem, hortanturque populos, ut episcopis et parochis constitutionalibus pareant (4).

Oh infelix astutia! quasi unicuique non pateret harum litterarum falsitas atque calumnia, sive locus inspiciatur, ubi datas fuisse confingitur; Nos enim die 2 mensis Aprilis morabamur, quemadmodum moramur adhuc, non apud S. Mariam Maiorem, sed apud S. Petrum; sive animadvertatur integer contextus, et continuatio sermonis, quo fuerunt conscriptae. Ibi enim, dum assueta, ipsisque familiari circumventione utuntur, nullum afferunt argumentum, quod centies non fuerit refutatum atque reiectum, ita ut vere dici possit, tot in illis errores esse, quot verba. Nihilominus, ne simplices decipiantur, inhaerentes Nos iis, quae adversus huiusmodi corrupta monumenta postremis Litteris Nostris expressimus (5), hoc scriptum declaramus falsum, commentitium, et

(1) §. 49.
(2) §. 1, 17 et 46.
(3) §. 8. et seqq.
(4) §. 44.
(5) Datis die 19 Martii huius anni. Vid. num. LVII. §. *Inter*, pag. 274. et §. *Super omnia*, pag. 282.

Ad archiepiscopos vero et episcopos superioris Ecclesiastici ordinis quod attinet, sive sint consecratores et assistentes, sive intrusi, sive etiam iureiurando civico obstricti, iuxta primam, secundam, tertiamque classem nostrarum Litterarum diei 19 elapsi mensis Martii, satis opportunum existimamus unice Nobis, Nostrisque successoribus reservare illorum absolvendorum facultatem. Quod enim super eorum defectione cadit iudicium, multo aliis gravius est, iisque longe antecellit. Nam eorum quidam sunt totius sceleris principes, omnes autem possunt vere dici auctores exitialis schismatis, quod per totum istud regnum misere debacchatur; adeoque digni sunt iuxta memoratos canones, ut cum iis aliquanto rigidius agatur. Hac autem reservatione nolumus sane, ut eorum animi frangantur, ac deiiciantur, sed maxime cupimus, ut illorum tanto magis excitetur fiducia communem matrem adeundi, et ad eam alacriter confugiendi; si enim sincera eorum erit poenitentia, velintque plenis satisfactionibus male gesta condemnare, et Ecclesias occupatas dimittere, declaravimus iam cum S. Leone (1), idemque modo iterum declaramus, eos per nos apertis ulnis exceptum iri, et pacis communionisque Nostrae unitate fruituros. Nostra enim ac vestra consilia non alio spectant, quam eo, ut errantes ad ovile reducantur, utque schismati finis demum imponatur, veluti indesinenter fusis lacrimis Deum Optimum Maximum deprecamur.

Post haec vix opus esset, ut vos admoneremus cuiusdam scripti, nunc ad Nos delati, quod schismatici desperantes omnino tueri se amplius posse auctoritate sua apud omnes abiecta atque pessumdata, ausi sunt Nostro nomine in vulgus edere, praefixo titulo

(1) Cit. Apostolicae Litterae diei 19 Martii 1791. Vid. n. LVII. §. *Hinc mirum*, pag. 268.

*

has ipsas Litteras recentibus typis editas transmittimus, ut quisque certus de nostra *voluntate sit*, easque pariter ad te dirigimus, *Venerabilis Frater;* certumque itidem esse volumus de singulari nostra tuae Pastoralis sollicitudinis fiducia, deque paterna eximia charitate, qua fraternitati tuae, tibique commissis ovibus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XX Iunii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

Eodem exemplo: Archiepiscopis, Viennensi, Rhemensi, Turonensi, Bituricensi, Burdegalensi, Auxitano, Tolosano, Narbonensi, Arelatensi, Aquensi, Bisuntino, Ebrodunensi, Cameracensi, Damasceno coadiutori archiepiscopi Albiensis, et mutatis mutandis, cardinali Rupefucaldio.

Item, cardinali deRohan, sed post lineata secundo loco legatur, «qui magnam partem dioecesis habes in ditione Galliae.»

Item, episcopo Iprensi, sed post lineata, «qui partem dioecesis habes in ditione Galliae.»

Item, electori Trevirensi, sed post lineata, «qui habes tuae dioecesis partem in ditione Galliae, tuosque ibidem suffraganeos.»

Item, episcopo Lugdunensi, sed post lineata «tuum erit, ut eae ipsae item (cum a vestro numero exclusus sit archiepiscopus Senonensis) in Senonensem dioecesim omnem, eiusque suffraganeos, suffraganeorumque dioeceses importentur» etc.

Pariter eodem exemplo, die vero 23 Iunii 1792, episcopis, Segonensi, Aleviensi, Adiacensi, Nebiensi, Marianensi.

Electori Mogontino, sed post verba *voluntate sit* primo loco lineata *legatur;* «eas pariter prout superi

fecimus ad te dirigimus, venerabilis frater, una cum hisce Nostris, ac plura illarum exempla tibi, quemadmodum aliis in Gallia metropolitis deferri mandamus; quo eadem possint vestra opera diffundi per suffraganeos, dioecesium administratores, capitula, ceterumque clerum cuiusque dioecesis; quod Nos ipsi quoque, quantum in Nobis est, curabimus, ut et per alias regiones gallicis finibus conterminas, ac ubique publicentur. Certi plane sumus te hic etiam praeclara tua in religionem studia esse confirmaturum, certumque invicem te facimus de paterna eximia charitate, qua fraternitati tuae, commissisque tuae fidei populis apostolicam benedictionem amantissime impertimur.»

Datum..., ut supra.

LXVIII.

VENERABILI FRATRI

CAROLO

Archiepiscopo Avenionensi

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cum ob Litteras Nostras die 19 praeteriti mensis Martii datas ad S. R. E. Cardinales, archiepiscopos, episcopos, aliosque e clero populoque regni Galliarum, nonnihil dubitationis in illo clero exortum sit circa limites facultatum absolvendi intrusos, idque ad Nos delatum, voluimus novas ad eosdem conscribere Litteras, quibus expressa Nostrae mentis declaratione ampliores fecimus facultates ipsis concessas ad absolvendos etiam Ecclesiasticos secundi ordinis intrusos, sed certis ad id ipsum propositis normis. Et ut Lit-

teris nostris 19 Aprilis datis extendimus ad unumquemque vestrum illud indultum, ita harum vigore extendimus pariter ad quemque vestrum earum facultatum ampliationem. Quin plura ad quemque ex vobis exempla typis edita mitti mandavimus, quo eadem vulgari diffundique per dioeceses vestras faciatis. Deum Optimum Maximum precantes, ut Nostras vestrasque sollicitudines sua benignitate respiciat ac secundet, interim apostolicam benedictionem tibi, venerabilis Frater, tuaeque fidei commissis ovibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXIII Iunii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

Eodem exemplo episcopis Carpentoractensi, Caballicensi, Vasionensi.

LXIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

FRANCISCO

Hungariae Regi Apostolico, nec non Bohemiae Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem electo.

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili Noster.

Responsum humanissimis ac iucundissimis Caesareae Maiestatis Tuae Litteris die 25 Iulii datis, Nobisque nuper redditis a dilecto Filio, Nobili viro *Ioanne Nepomuceno,* S. R. I. Principe *Clary ab Aldringen,* quibus faustissimam Nobis Tui in Romanorum Imperatorem nunciasti electionem, differre debemus, quoad expleta cetera sint, quae ad hunc exoptatissimum eventum pertinent, peragenda per Nos officia. Interim

tamen, cum alia Nobis instet gravissima ad Te scribendi causa, satis esse ducimus, ut hic in antecessum significemus Tibi immensum paterni Nostri animi fuisse gaudium, cum Te ad illud amplitudinis ac potestatis culmen evectum intelligeremus, quem maximis florentem virtutibus, ac Religionis praesertim studiis inflammatum, his perturbatissimis temporibus unice opportunum, utilem ac salutarem et Ecclesiae, et Imperio, et sanctae huic Sedi futurum noveramus.

Confirmarunt hoc iudicium de Te, et gaudium Nostrum recentes Ven. Fratris *Ioannis Sifredi Maury,* archiepiscopi Nicaeni, apostolici *extra ordinem* Nuncii Litterae, quae et publice in tantae celebritatis solemnibus, et privatim, cum Te Nostro nomine gratulandi causa adiisset, quanta pii excellentisque animi Tui specimina dederis, significabant. Haerent infixae menti nostrae, ac semper haerebunt Tuae illae voces singulari ardore prolatae, cum religionis causam, sanctaeque hũius Sedis rationes in Te ipsum recipere sancte profitereris, idque ad Nos perscribi mandares. His Tuis studiis promissisque permoti, statim ad Te dare Litteras voluimus Nostrae gratissimae voluntatis testes, summaeque gratulationis, non magis ob nova Tuae dignitatis, quam ob singularia Tuarum virtutum incrementa interpretes. Ex quo etiam potes, in quantam spem ex istis laudibus tuis attollamur, agnoscere.

Nos quidem iam antea Augustum Genitorem Tuum, dum viveret, commoveri illatis Nobis per summam iniuriam damnis, proque sua aequitate excitari ad suscipiendam causam Nostram, laetabamur. Agebatur tum de iniquissima Nostrarum in Gallia ditionum ex gallici Conventus decreto peracta occupatione, cuius facti *Memoria* ad regias Aulas, et ad Caesaream praecipue, in meritam omnes tantae iniustitiae detestationem induximus.

Egregios Caesar ipse, plenosque pietatis ac magnitudinis animi sensus statim Nobis declaravit, cum diceret se omni opera acturum, ut ablatas provincias reciperemus. Quo nihil iustius esse possit, neque quidquam magis omnium etiam intersit supremorum principum, quam ne tale usurpationis exemplum in ullam abire valeat temporis praescriptionem. Agendas tum illi gratias duximus per Litteras Nostras, in iisque potissimum religionis res in Gallia convulsas, ac plane eversas, per suam auctoritatem ac potentiam restituendas, non sine gemitu ac lacrimis commendabamus. Verum eas ipsas Litteras die 3 Martii datas inopinus luctuosissimus eius obitus iam antecesserat.

At praestans illud consilium suum non ipsa morte abreptum est, sed a Te perficiendum in Te ipsum est, Deo volente, tamquam per hereditarium ius, transmissum. In eadem ipse regna successisti, iisdem polles viribus, ad quas adhibendas multo adhuc maiori compelleris causa, indicti nimirum ac moti contra Te belli ab iis ipsis, qui iam omnium iura tam sacra, quam regia nefarie oppugnare coeperunt, ac pervertere. Eum vero geris animum, quem Dei ipsius Spiritu inditum Tibi esse putandum est, cum in ipso Imperii tui, tantorumque regnorum initio, nihil magis agites ac moliaris, quam ut infensissimos Tuos ac potestatum omnium hostes armis compescas, in suum referas statum non minus Ecclesiam, quam regnum Galliae, Nobisque etiam per vim ablata restitui facias. Quae quidem cuncta singulari prae Te fers animi ardore, in iisque palam consilia omnia, curas, opes, viresque collocas atque impendis.

Eas igitur Litteras, quas ad Augustum parentem tuum, paucis ante mensibus, miseramus, Tibi scriptas existima, carissime in Christo Fili Noster, at-

que ita perlege, ut hortationes illas Nostras in Tuas laudes converti putes; cum, quod maxime precabamur, a Te ipso Tua iam sponte susceptum esse videamus, ut non tam a Nobis ad Te iterum ista deferenda postulata sint, quam agendae gratiae.

Tamen Tibi tantopere ad veram gloriam per Teipsum properanti si quid adiungi a Nobis potest, illud est, quod omni opera apud Te contendimus, ut in ipso praestantium actionum cursu, in vindicandis tot tantisque iniuriis, in iustissimo gerendo contra communes hostes bello, in propugnandis regum omnium iuribus, numquam religionis rationes a ceteris quibuscumque rationibus seiungas, semperque Tibi propositum habeas, Te Tuas, Tuorumque regnorum res tum esse acturum maxime, cum religionis integritati prospexeris, cum sacros cultus, cum Catholicam Ecclesiam, eiusque unitatem in apostolica Sede fundatam ubique constitueris; Tibique plane, vel ipso gallicarum perturbationum exemplo persuadeas, publicarum rerum summam in eo verti, scilicet non tam humana, quam divina fide contineri et consistere regna, atque abiecta religione, in tumultus eadem, rebelliones, ac ruinam vesano pravissimarum opinionum impulsu facillime miserrimeque prolabi. Itaque, vel in administrando, vel in componendo bello, illae potiores apud Te esse debent conditiones, quae Regno Dei conveniant, unde in cetera humana Regna omnis publicae potestatis vis vigorque promanat.

Hunc in modum faventem Tibi, propitiumque reddes regum Regem, imperiorumque auctorem et conservatorem, ac victoriae felicitatisque omnis largitorem Deum. Numquam Nos propterea intermittimus ad ipsum pro Te, carissime in Christo Fili Noster, pro Tua Augustissima Domo, Tuisque amplissimis regnis vota facere, eaque coniungimus cum apostolica

benedictione, quam Caesareae maiestati Tuae ex intimo paterno corde deprompţam amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die VIII Augusti MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

Benedictus Stay.

LXX.

VENERABILI FRATRI

YVONI ALEXANDRO

Archiepiscopo Lugdunensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Si eas inter angustias, quae misere Galliarum regnum divexant atque obruunt, tibi tuisque confratribus solatio est ad Apostolicam hanc Sedem confugere, veluti postremae litterae tuae die 10 proxime elapsi mensis Augusti ad Nos datae egregie testantur, Nos etiam, qui tuarum angustiarum participes sumus, maiori equidem afficimur consolatione, dum apostolico fungimur ministerio, quod Iesus Christus Petro primum, et omnibus deinde eius successoribus per haec divina verba contulit: Pasce oves, confirma fratres (1).

(1) Quae subsequuntur usque ad §. *At par est, ut praecipuum*, licet maximi, ut statim videbitur, momenti, detruncata sunt in versione germanica Brevium Apostolicorum D. A. *Guilleaume*, quae impressa est *Monasterii Westphalorum*. Qua autem mente id factum fuerit, iudicabit Deus, ac quivis lector tantillum perspicax facile intelliget. Vae ineptis et absurdis ecclesiae gallicanae prae-

Iure quidem ac merito tu suspicis ac demiraris ordinem divinae sapientiae, quae malum ipsum convertens in bonum, veram Episcopis reddidit libertatem adeundi supremum Ecclesiae Caput, eiusque responsa postulandi atque amplectendi, arctius colligatis iis unionis vinculis, quibus Episcopi adstricti teneri debent Petri Cathedrae, eique adhaerescere; quaeque antea sub quadam *Libertatum* specie non sine Episcoporum bonorum dolore nimium delapsa erant atque remissa, velati tu, ven. frater, tuis bene multis collegis adiunctus luculenter ostendis in tua pastorali epistola die 1 praeteriti mensis Maii praescripta, quam Nos ingenti animi Nostri laetitia perlegimus (1). Hinc commendantes erga Nos tuum ardorem tuumque studium, nihil optamus magis in re, quae tanti interest ad Religionem sartam tectamque tuendam, quam ut istiusmodi veritas mirabili providentiae beneficio cognita atque perspecta miserrimo aerumnarum tempore altius uniuscuiusque animo infigatur, et ut integra tunc etiam servetur, et maneat, cum Deus O. M. Nostris vestrisque precibus exoratus regionibus istis pacem tranquillitatemque restituet. Quoadusque Episcopi haerebunt Ecclesiae Capiti, delebuntur errores, ac veritas triumphabit. « Unitas » enim, ut verbis utamur orationis habitae in Con» cilio Turonensi anno 1163 tempore Alexandri III, » concordiam parit, concordia mater est unitatis, uni» tas vero fidei tribuit libertatem; ex fide quidem vita » nobis et victoria est, quae vincit mundum, regnum

tensis libertatibus! Vid. Monitum part. III.—Haec adnotavit Editor Collection. Brev. atque Instruct. iuxta exemplar impressum Romae ann. 1800. Qui in praecitato Monito part. III. questus de sermone praefixo duobus tomis, quibus titulus est: « Brefs et Instructions de N. S. Père le Pape Pie VI, » haec addidi ad calcem paginae: — Quid sibi volunt hae detruncationes? quid Brevium integrorum omissiones? —

(1) **Pag. 9, 10, et praesertim 11.** ***Si c'était.***

» satanae, regnum mundi .... si steterimus simul, Ec-
» clesia Dei apparebit terribilis ut castrorum acies or-
» dinata (1). »

Aliud tui studii atque ardoris argumentum Tu, Venerabilis Frater, exhibuisti, cum Nostras litteras die 19 Martii praeteriti, et die 13 Iunii proxime elapsi datas, in vulgus edendas curasti, non per amplam modo tuam tuorumque Suffraganeorum Dioecesim, illa etiam comprehensa, quae ad infelicem pertinet Augustodunensem Episcopum, sed per Dioeceses etiam Provinciae Senonensis, cuius Metropolitanus suo pariter defuit officio: qua in re, pro tua religione usus es iis Facultatibus, quas tibi hanc ipsam ob causam concessimus Nostra responsione eiusdem die 19 Martii, salvis iuribus, quae ad te possent, tamquam ad Primatem, pertinere.

Declaras tu quidem, apprime tibi gratam fuisse Nostram hanc agendi rationem, et commotum te esse significas Nostris laudibus, quibus merito teipsum praedicta Nostra responsione cumulavimus. Sed persuasum tibi esse volumus, nullum Nos commendationis tuae finem facturos, si prosequi vellemus singula laudum genera, quibus tuae praeclarae res gestae commendantur, et quibus tunc maxime enituisti, cum Apostolicas Nostras litteras editurus familiarem epistolam conscripsisti eidem Augustodunensi Episcopo, aliamque Pastoralem epistolam circumferri iussisti, cuius egregii sensus mirum in modum respondent sensibus Nostrarum litterarum, adeoque una simul deberent certo certius reducere ad ovile errantes, praesertim intrusos; modo ii horrendum finem illum prospiciant, in quem divinitus semper devenerunt in Ecclesia Mosaica et Christiana ii omnes, qui sacerdotia sacrilege occu-

(1) Apud Labbeum in noviss. Collect. Concil. Antonii Zatta Tom. XXI. col. 1172.

parunt, veluti perspicue exempla per te collecta demonstrant, et veluti ea comprobant, quae nuper infelici Pictaviensi intruso acciderunt (1). Utinam omnipotens Deus det incrementum ac robur Nostris tuisque vocibus, quibus maiori, qua fieri possit, lenitate studuimus, et studemus adhuc lucrari errantes Deo per charitatem Christi!

Gratias etiam reddendas Nobis quam maximas putas, eo quod iussu Nostro vitae subsidia suppeditata fuerint nonnullis Dioecesis tuae ecclesiasticis viris, qui domos suas relinquere coacti in Nostrum sinum sese coniecerunt. Verumtamen certo Nobis persuasum esse scito, nusquam iustius, numquam posse liberalius erogari subsidia, quam in eos, qui propter causam Christi rerum suarum dispendia pertulerunt, quique de sedibus suis contumeliose et violenter eiecti, peragrant regiones, atque inter ignotos vitam quasi solitariam degere compelluntur. Causa communis est, sed in eos praesertim recidit detrimentum, et conversa est vexatio, quae quidem, iuxta recentes nuncios ad Nos delatos, eo iam venit, ut ex utroque Clero Ecclesiastici bene multi, et aliqui etiam ex Confratribus Nostris fuerint odio religionis, aut in vincula coniecti, aut crudeliter ad mortem rapti atque interempti. Hinc eo Nos animo comparati, quo erant in simili rerum statu Patres citati Concilii Turonensis, non tuos dumtaxat Dioecesanos, sed alios etiam primi et secundi ordinis ecclesiasticos viros aliarum gallicanarum Dioecesium, benigne excepimus, iugiter prompti ac parati, ut quantum in Nobis est, aperiamus eis viscera pietatis, et in eos omnem compassionis effundamus affectum, ipsosque cum omni beneficentia et gratia complectamur..... Viri prudentes sunt, et multa commendabiles honestate, quos Dominus elegit, tamquam au-

(1) Pag. 22 et seqq.

rum in fornace probandos, ut per eos impendio personarum et rerum Ecclesiae victoria consummetur: felices sunt, quibus datum est pro aeternis transitoria commutare; feliciores sunt, qui mortem, vel corporales iniurias sunt experti, et impretiabilem sanguinem Christi suo corruptibili sanguine (1) compensarunt (*).

At par est, ut ad praecipuum veniamus tuarum litterarum argumentum, ad dubium scilicet, quod tu Nobis proponendum putas, absque eo tamen quod ea dissimules rationum momenta, quae contra facere videantur. Dubium huiusmodi ex diversis partibus constat, quae a Nobis pro temporis et rerum varietate ita distinguentur, ut nullus ambiguitati sit locus; aliae enim partes illud respiciunt, quomodo intelligenda sint ea facultatum indulta, quae Nos iuxta vota Episcoporum Galliarum eadem postulantium concessimus; aliae ad modum rationemque pertinent, quibus adhibere illa optares.

Primum sibi vindicat locum ea postulatio, num articulo II Nostri Apostolici indulti diei 19 Martii huius anni, quo facultatem tribuimus absolvendi Ecclesiasticos promovendos ab irregularitatibus, num, inquimus, mens nostra fuerit comprehendendi irregularitatem manantem ex delicto non iam occulto, sed publico; eo quod scilicet violata fuerit suspensio ab exercitio ordinis, quam Nos Apostolicis Litteris diei 13 Aprilis superioris anni adversus eos indixeramus, qui intra 40 dies suum civicum sacramentum non eiurassent. Primae huic petitioni tuae facilis est et prompta responsio: ipse enim satis nosti, concessam per Nos fuisse Episcopis citato articulo II facultatem dispensandi promovendos super irregularitatibus quoquo modo incursis, et etiam

(1) Ap. Labbe cit. noviss. Collect. Ant. Zatta. T. XXI. c. 1175

(*) Hucusque praedicta detruncatio monasteriensis. *(Not. Edit. 1800).*

parunt, veluti perspicue exempla per te collecta demonstrant, et veluti ea comprobant, quae nuper infelici Pictaviensi intruso acciderunt (1). Utinam omnipotens Deus det incrementum ac robur Nostris tuisque vocibus, quibus maiori, qua fieri possit, lenitate studuimus, et studemus adhuc lucrari errantes Deo per charitatem Christi!

Gratias etiam reddendas Nobis quam maximas putas, eo quod iussu Nostro vitae subsidia suppeditata fuerint nonnullis Dioecesis tuae ecclesiasticis viris, qui domos suas relinquere coacti in Nostrum sinum sese coniecerunt. Verumtamen certo Nobis persuasum esse scito, nusquam iustius, numquam posse liberalius erogari subsidia, quam in eos, qui propter causam Christi rerum suarum dispendia pertulerunt, quique de sedibus suis contumeliose et violenter eiecti, peragrant regiones, atque inter ignotos vitam quasi solitariam degere compelluntur. Causa communis est, sed in eos praesertim recidit detrimentum, et conversa est vexatio, quae quidem, iuxta recentes nuncios ad Nos delatos, eo iam venit, ut ex utroque Clero Ecclesiastici bene multi, et aliqui etiam ex Confratribus Nostris fuerint odio religionis, aut in vincula coniecti, aut crudeliter ad mortem rapti atque interempti. Hinc eo Nos animo comparati, quo erant in simili rerum statu Patres citati Concilii Turonensis, non tuos dumtaxat Dioecesanos, sed alios etiam primi et secundi ordinis ecclesiasticos viros aliarum gallicanarum Dioecesium, benigne excepimus, iugiter prompti ac parati, ut quantum in Nobis est, aperiamus eis viscera pietatis, et in eos omnem compassionis effundamus affectum, ipsosque cum omni beneficentia et gratia complectamur..... Viri prudentes sunt, et multa commendabiles honestate, quos Dominus elegit, tamquam au-

(1) Pag. 22 et seqq.

dum sensus etiam respondet; qui enim reservat sibi facultatem intrusos reddendi idoneos ad beneficia non rite occupata, satis liquide patet reservare sibi minime voluisse beneficia, quae canonice ab intrusis ante intrusionem possidebantur. Respondet quoque intrinsecum illud, quod inter utrumque beneficiorum genus intercedit discrimen: ad beneficia enim occupata quod attinet, deficit intruso canonicus titulus, quo nequaquam destituitur ad ea retinenda beneficia, quae ante intrusionem nactus legitime fuerat.

Hac cognita veritate, postulas tertio, num beneficia legitime etiam quaesita amittantur, et vacent ob maximam delicti acerbitatem, tam ab intrusione quam ab irregularitate manantem. Haec porro quaestio tollitur ex iis ipsis rationibus e canonico iure depromptis, et a te ea, qua praestas, sacrae iurisprudentiae scientia commemoratis. Si enim sanctione canonici iuris, cui celebriorum theologorum doctrina est consentanea, intrusionis et irregularitatis rei non sunt ipso iure privati sed tantum privandi beneficiis, quae legitime antea possidebant, illud necessario sequitur, ut ad inducendam huiusmodi beneficiorum amissionem atque vacantiam praecedere omnino debeat latum de privatione iudicium; iudicium, inquimus, quod semper intercedat oportet, ubi privatio indicta non est per sacros canones ipso iure. Quapropter si iudicium huiusmodi nondum latum est; et rursus si eo deficiente beneficiatus licet atrociorum criminum reus, ut tu pergis, nec beneficio, quo canonice gaudet, nec eius fructibus privatur, nemo non videt reservationem per Nos factam nullo modo potuisse super ea beneficia cadere, quae legitime ab intruso acquisita minime vacabant, sive propter intrusionem, sive propter irregularitatem, quae postea est consecuta. Exclusa hac beneficiorum legitime quaesitorum vacatione ipso facto et ipso iure,

exponendam Nobis aggrederis absurditatem, et maximum scandali genus, quod non tuam dioecesim modo, sed alias etiam Galliarum regni dioeceses pervaderet, si ad Capitula, et ad parochiarum regimen ii conspicerentur regredi Ecclesiastici viri, qui absoluti fuissent, propter poenitentiam fortasse minus veram ac simulatam, qua necesse quidem est, ut Episcopi contenti esse debeant; unus enim Deus intuetur cor; illi nempe Ecclesiastici, qui semper iisdem erunt suspicionibus obnoxii, qui semper prompti erunt iisdem turbis ciendis, quamvis res omnes ad suum ordinem revertantur, et qui denique cunctis Ecclesiae censuris se subiecerint, et contumaci animo exspectaverint, dum Nos, quod minati iam fuimus, anathematis fulmine eos percelleremus. Post haec quaeris ultimo loco, utrum expediat huiusmodi intrusos, qui ante intrusionem legitime beneficiis et parochiis fruebantur, ubi se Episcopis sistent, ut a censuris solvantur, utrum, scilicet, expediat eos praedictis exsui beneficiis, tunc cum in gratiam Ecclesiae conciliantur, et utrum privatio huiusmodi, quae potest cum absolutione esse coniuncta, ferri et pronunciari debeat peculiari quodam iudicio, secundum iuris censuram superius traditam: « non sunt ipso iure privati, sed tantum privandi. »

Antequam de ratione iudicium feramus, quae ineunda esse proponitur, oportet sedula animadversione perpendi eam, quam affers, absurditatem, attente consideratis personis intrusorum, qui canonico titulo frui possunt beneficiis et etiam parochiis, et iusto discrimine habito inter dociles et pervicaces intrusos. Si de personis sermo instituatur, non alii intrusi iactare possunt canonicum titulum, super beneficiis generis cuiuscumque, quam qui legitime ordinati sunt, veluti tu ipse affirmas, antequam ederetur civilis Cleri constitutio, quique canonice aucti sunt ante schisma

beneficiis iisdem per pastores legitimos praevio habito examine de illorum doctrina, moribus, atque idoneitate. Hi porro, quibus favet legitimorum Episcoporum iudicium, toto genere differunt ab eorum faece atque colluvie, qui sacrilege a pseudo-Episcopis ordinati et illegitime beneficiis ditati sunt, adeoque nullam merito edere possunt offensionem et scandalum, si sua culpa per sinceram numerisque omnibus absolutam satisfactionem expiata, ad ea beneficia et ad eas parochias revertuntur, quibus olim digni iudicati fuerant, et in quarum possessionem fuerant legitime immissi. Cessat insuper magis ac magis ea, quae timetur, absurditas, si recte distinguantur intrusi in errore et in schismate pertinaces, qui Ecclesiae benignitate abutentes non ante absolvi se petent, quam Nos ad severitatem adhibendam adacti adversus ipsos anathematis sententiam ediderimus; et rursus si recte distinguantur intrusi dociles atque obsequentes, qui ampliori temporis spatio proficientes, quod Nos adhuc errantibus largiendum esse putamus, absolvi se postulabunt, antequam fuerint per Nos severitati manus appositae. Ad intrusos reluctantes quod pertinet, nihil est, quod timeas tu aut alii. Episcopi Galliarum confratres tui illos aspicere ad sua munera revocari, et ad suas parocchias reverti legitime quaesitas. Etenim Nos de eorum pertinacia certiores effecti antequam anathematis fulmen eiaculemur, aut dum anathematis iudicium ipsum feremus, velut Nobis expedire magis videbitur, eos omnes quocumque beneficio edita sententia exsuemus. Quae quidem sententia eorum pervicaciae debetur, et comitari merito solet excommunicationem ipsam maiorem, cum nihil absurdius sit, quam ut qui sunt extra Ecclesiam, ii Ecclesiae beneficiis potiantur. Ad intrusos vero quod spectat dociles et obsequentes, multum profecto a

canonum censura abhorreret, nimiumque Ecclesiae adversaretur benignitati, et a poenitentia revocaret errantes, si per Nos ratio iniretur, quam Nobis proponis, illos exsuendi beneficiis legitime ante schisma quaesitis, et huiusmodi severitatem eo praesertim tempore adhibendi, quo iidem patratorum criminum absolutionem petunt, quae publice editis argumentis antea sunt detestati; cum privatio, quae est poena non iam in pervicaces inflicta, componi minime possit cum poenitentia ipsa et cum absolutione.

Utere tu, ven. frater, tecumque reliqui Galliarum Episcopi utantur, veluti non dubitamus futurum, ea severitate, quam Nos ante absolutionem iussimus adhiberi; sed si praescriptae conditiones servabuntur, procul certe aberunt, quantum fieri potest, simulatae et commentitiae poenitentiae, nec ullus erit scandalo aut offensioni locus, si Ecclesiasticus quidam non poenae timore perterritus, sed paternis hortamentis illectus, et sincera animi poenitentia ductus, erit a privatione beneficiorum immunis, quae est poena obstinationis; et rursus si idem, postquam Ecclesiae cumulate satisfecerit, absolvitur, et iuxta canones possessionem repetit eorum beneficiorum, quae legitime antea possidebat. Humani est in errorem labi, sed publica et sincera erroris eiuratio ita maculas omnes eluit ac delet, ut homini famam nomenque conciliet ac pariat, veluti alias per Nos multis exemplis demonstratum est ab ecclesiasticae historiae fonte petitis (1). Apostolus ipse verba faciens de aliquibus ramis fractis dixit: « Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inse-

(1) Prioribus Nostris litteris Mss. diei 10 Martii 1791. pag. 76. col. 1. et 2. et aliis litteris typis editis diei 13 Aprilis eiusdem anni 1791 pag. 2, et diei 19 Martii huius anni p. 10 et 11. *Cf. has Litt. Ap. pp. 62, 141, 265 hui. edit.*

Egregios Caesar ipse, plenosque pietatis ac magnitudinis animi sensus statim Nobis declaravit, cum diceret se omni opera acturum, ut ablatas provincias reciperemus. Quo nihil iustius esse possit, neque quidquam magis omnium etiam intersit supremorum principum, quam ne tale usurpationis exemplum in ullam abire valeat temporis praescriptionem. Agendas tum illi gratias duximus per Litteras Nostras, in iisque potissimum religionis res in Gallia convulsas, ac plane eversas, per suam auctoritatem ac potentiam restituendas, non sine gemitu ac lacrimis commendabamus. Verum eas ipsas Litteras die 3 Martii datas inopinus luctuosissimus eius obitus iam antecesserat.

At praestans illud consilium suum non ipsa morte abreptum est, sed a Te perficiendum in Te ipsum est, Deo volente, tamquam per hereditarium ius, transmissum. In eadem ipse regna successisti, iisdem polles viribus, ad quas adhibendas multo adhuc maiori compelleris causa, indicti nimirum ac moti contra Te belli ab iis ipsis, qui iam omnium iura tam sacra, quam regia nefarie oppugnare coeperunt, ac pervertere. Eum vero geris animum, quem Dei ipsius Spiritu inditum Tibi esse putandum est, cum in ipso Imperii tui, tantorumque regnorum initio, nihil magis agites ac moliaris, quam ut infensissimos Tuos ac potestatum omnium hostes armis compescas, in suum referas statum non minus Ecclesiam, quam regnum Galliae, Nobisque etiam per vim ablata restitui facias. Quae quidem cuncta singulari prae Te fers animi ardore, in iisque palam consilia omnia, curas, opes, viresque collocas atque impendis.

Eas igitur Litteras, quas ad Augustum parentem tuum, paucis ante mensibus, miseramus, Tibi scriptas existima, carissime in Christo Fili Noster, at-

Ad archiepiscopos vero et episcopos superioris Ec-
lesiastici ordinis quod attinet, sive sint consecra-
ores et assistentes, sive intrusi, sive etiam iureiu-
ando civico obstricti, iuxta primam, secundam, ter-
iamque classem nostrarum Litterarum diei 19 elapsi
ensis Martii, satis opportunum existimamus unice
obis, Nostrisque successoribus reservare illorum ab-
lvendorum facultatem. Quod enim super eorum de-
ctione cadit iudicium, multo aliis gravius est, iis-
e longe antecellit. Nam eorum quidam sunt totius
eleris principes, omnes autem possunt vere dici au-
ores exitialis schismatis, quod per totum istud re-
um misere debacchatur; adeoque digni sunt iuxta
emoratos canones, ut cum iis aliquanto rigidius a-
tur. Hac autem reservatione nolumus sane, ut eo-
m animi frangantur, ac deiiciantur, sed maxime
pimus, ut illorum tanto magis excitetur fiducia com-
nem matrem adeundi, et ad eam alacriter confu-
endi; si enim sincera eorum erit poenitentia, velint-
e plenis satisfactionibus male gesta condemnare, et
clesias occupatas dimittere, declaravimus iam cum
Leone (1), idemque modo iterum declaramus, eos
r nos apertis ulnis exceptum iri, et pacis com-
nionisque Nostrae unitate fruituros. Nostra enim
vestra consilia non alio spectant, quam eo, ut er-
ntes ad ovile reducantur, utque schismati finis de-
m imponatur, veluti indesinenter fusis lacrimis
m Optimum Maximum deprecamur.

Post haec vix opus esset, ut vos admoneremus cu-
dam scripti, nunc ad Nos delati, quod schismati-
desperantes omnino tueri se amplius posse auctori-
e sua apud omnes abiecta atque pessumdata, ausi
t Nostro nomine in vulgus edere, praefixo tit...

(1) Cit. Apostolicae Litterae diei 19 Martii 1791. Vid. n. 1
...um, pag. 268.

has ipsas Litteras recentibus typis editas transmittimus, ut quisque certus de nostra *voluntate sit*, easque pariter ad te dirigimus, *Venerabilis Frater;* certumque itidem esse volumus de singulari nostra tuae Pastoralis sollicitudinis fiducia, deque paterna eximia charitate, qua fraternitati tuae, tibique commissis ovibus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XX Iunii MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

Eodem exemplo: Archiepiscopis, Viennensi, Rhemensi, Turonensi, Bituricensi, Burdegalensi, Auxitano, Tolosano, Narbonensi, Arelatensi, Aquensi, Bisuntino, Ebrodunensi, Cameracensi, Damasceno coadiutori archiepiscopi Albiensis, et mutatis mutandis, cardinali Rupefucaldio.

Item, cardinali deRohan, sed post lineata secundo loco legatur, «qui magnam partem dioecesis habes in ditione Galliae.»

Item, episcopo Iprensi, sed post lineata, «qui partem dioecesis habes in ditione Galliae.»

Item, electori Trevirensi, sed post lineata, «qui habes tuae dioecesis partem in ditione Galliae, tuosque ibidem suffraganeos.»

Item, episcopo Lugdunensi, sed post lineata «[illegible]tuum erit, ut eae ipsae item (cum a vestro numero exclusus sit archiepiscopus Senonensis) in Senonensem dioecesim omnem, eiusque suffraganeos, suffraganeorumque dioeceses importentur» etc.

Pariter eodem exemplo, die vero 23 Iunii 1792, episcopis, Segonensi, Aleviensi, Adiacensi, Nebiensi, Marianensi.

Electori Mogontino, sed post verba *voluntate* primo loco lineata *legatur;* «eas pariter prout super[illegible]

que ita perlege, ut hortationes illas Nostras in Tuas laudes converti putes; cum, quod maxime precabamur, a Te ipso Tua iam sponte susceptum esse videamus, ut non tam a Nobis ad Te iterum ista deferenda postulata sint, quam agendae gratiae.

Tamen Tibi tantopere ad veram gloriam per Teipsum properanti si quid adiungi a Nobis potest, illud est, quod omni opera apud Te contendimus, ut in ipso praestantium actionum cursu, in vindicandis tot tantisque iniuriis, in iustissimo gerendo contra communes hostes bello, in propugnandis regum omnium iuribus, numquam religionis rationes a ceteris quibuscumque rationibus seiungas, semperque Tibi propositum habeas, Te Tuas, Tuorumque regnorum res tum esse acturum maxime, cum religionis integritati prospexeris, cum sacros cultus, cum Catholicam Ecclesiam, eiusque unitatem in apostolica Sede fundatam ubique constitueris; Tibique plane, vel ipso gallicarum perturbationum exemplo persuadeas, publicarum rerum summam in eo verti, scilicet non tam humana, quam divina fide contineri et consistere regna, atque abiecta religione, in tumultus eadem, rebelliones, ac ruinam vesano pravissimarum opinionum impulsu facillime miserrimeque prolabi. Itaque, vel in administrando, vel in componendo bello, illae potiores apud Te esse debent conditiones, quae Regno Dei conveniant, unde in cetera humana Regna omnis publicae potestatis vis vigorque promanat.

Hunc in modum faventem Tibi, propitiumque reddes regum Regem, imperiorumque auctorem et conservatorem, ac victoriae felicitatisque omnis largitorem Deum. Numquam Nos propterea intermittimus ad ipsum pro Te, carissime in Christo Fili Noster, pro Tua Augustissima Domo, Tuisque amplissimis regnis vota facere, eaque coniungimus cum apostolica

ctam haberet potestatem absolvendi Ecclesiasticos etiam intrusos, quorum crimen illorum antecellit, qui civico se tantum sacramento obstrinxerunt, et de quibus in eo articulo specialis mentio facta fuerat.

In hac rerum ambiguitate sancte religioseque iidem episcopi professi sunt, se quam maxime abhorrere a praetergrediendis limitibus facultatum sibi tributarum; adeoque iterum ad Nos confugientes cuiuscumque dubietatis tollendae causa, aperte Nobis significarunt, se maxime optare, ut episcopis tribueretur facultas intrusis conciliandi Ecclesiae gratiam, eosque a censuris solvendi; cum haec facultas non solum nihil haberet periculi, sed magno etiam religioni esse posset emolumento.

Vestra haec agendi ratio, dilecti filii Nostri, et ven. fratres, ac dilecti filii, digna sane est, quam summis laudibus, sicut alias fecimus, extollamus. Nos itaque parati ac prompti Vestris petitionibus obsecundandis in iis omnibus, quae in Domino expedire Nobis videntur, in animum Nostrum inducimus novam Vobis impertiri facultatem, quae latius pateat, et quae egregiis Vestris sensibus respondeat, quaeque uno eodemque tempore et canonicis regulis, et Ecclesiae consuetudini satisfaciat.

Illud tamen in antecessum animadvertamus oportet, quod sedulo perpensis iis, quae ad Nos prima et altera vice detulistis, liquido patet, illas inter facultates, quae indulto generali continentur, comprehensam per Nos minime fuisse facultatem absolvendi Ecclesiasticos intrusos. Cuius quidem facultatis omissio ex oblivione proficisci non potuit; dum enim Nostris obversarentur oculis apostolicae Nostrae litterae diei 13 Aprilis anni 1791, in quibus non tantum fiebat mentio de crimine praestiti civici sacramenti, sed de alio etiam crimine sermo habebatur, quo sese polluerant

dus alter Constantiensis episcopus monasterium erexit cum onere excipiendi et alendi quotidie pauperes loco Christi (1); et plura inter monasteria istius et aliarum Germaniae dioecesium unum exstat, quod appellari consuevit, quodque appellatur adhuc *Stabulense*, eo quod sit commune stabulum omnium pauperum et peregrinorum (2). Hinc certa spe confidimus fore, ut nihil Vobis, ceterisque ecclesiasticis Gallis ad vitae subsidia sit defuturum, cum venerabilis frater Maximilianus Christophorus Constantiensis civitatis episcopus, aliique egregii pastores, et abbates Ecclesiae germanicae maiorum suorum gloriam aemulentur. Nostris, Vestrisque lacrimis, et publicis item precibus, quae factae hactenus sunt, et quae instaurantur quotidie, Deus Optimus Maximus exoratus dignetur tandem aliquando iustam suam iram compescere, Vobisque gloriosis pastoribus Vestras reddere sedes, et Ecclesiae universae pacem restituere, veluti intimo exoptamus animo, dum interim Vobis, venerabiles Fratres, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXI Novembris MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

(1) Loco cit.
(2) Chron. Bertoldi Constant. ad an. 1083.

stitutionalem Ecclesiam, re, legibus, et nomine a Iesu Christi Ecclesia diversam, dumque manu sua schismati latissimam sternit viam. Quod ut e medio tollatur, iure ac merito ad sanctam hanc Sedem confugiendum erat, utpote quae iniuria praesertim afficitur, quaeque opportunum etiam potest adhibere indulgentiae modum, non facile ordinateque servandum, ubi absolvendi facultas multorum permitteretur arbitrio.

Minime certe vos latet, ven. Fratres, quanta severitate usa sit Ecclesia adversus huiusmodi reos. Animadvertens enim id quod intercedit discrimen eos inter, qui suo infortunio parentes haereticos habuerunt, et inter eos, qui e parentibus catholicis progeniti sponte sua ad haereticorum partes transgrediuntur, aliter factos, aliter natos haereticos atque schismaticos semper tractavit, in illos longe rigidior, utpote longe gravius reos. Hic agendi rigor multo etiam magis adhibitus est in Ecclesiasticos viros, ita ut sciamus adversus ipsos adhibitas fuisse minas; ut *si quis studio ad haereticum ierit, et susceperit ordinationem, sine receptione sit* (1).

Hunc Ecclesiae agendi rigorem commemorat S. Innocentius I. Scribens enim ad Rufum, et alios Macedoniae episcopos docuit, episcopum, aut clericum, in haeresi, aut schismate ordinatum, seu in illud postmodum lapsum, laica tantum communione gaudere, iuxta *veteres regulas, quas ab apostolis, vel apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit* (2). Et quamvis a Patribus Concilii Nicaeni I quidam adhibitus

(1) Verba sunt Constantini Cypriorum Metropolitae in Actione prima Synodi VII. generalis, relat. a Labbeo in noviss. Collect. Concil. Antonii Zatta tom. XII. col. 1048. post lit. C.

(2) Epist. XXII. ad Rufum, aliosque Episcopos Macedoniae apud Labbeum cit. noviss. Collect. Antonii Zatta tom. III. col. 1060. et seq. num. 4. et 5.

dem subsidia suppeditarunt, aemulantes gloriam antiquorum Romanorum, apud quos videbatur *valde decorum, patère domos hominum illustrium hospitibus illustribus; idque etiam reipublicae esse ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere* (1).

Ad Nos quod pertinet, qui licet immerito Pastoris universalis et Patris omnium fidelium munus gerimus, maiori, quam ceteros, onere obstrictos esse putavimus, promptam ferendi opem exsulibus hisce infelicibus, qui in Nostrum sinum se coniecerunt. Persuasum enim Nobis satis superque est, nusquam iustius, nusquam posse liberalius erogari subsidia, quam in eos, qui propter causam Christi rerum suarum dispendia pertulerunt, quique de sedibus suis contumeliose et violenter eiecti peragrant regiones, atque inter ignotos vitam quasi solitariam degere compelluntur. Hinc a primo tam dirae huiusce insectationis initio patefecimus Gallis, sive Ecclesiasticis, sive laicis, viscera pietatis, ipsosque cum omni beneficentia et gratia complexi sumus.

Sperabant profecto hi exsules aerumnosi, se vitam ducturos, sin minus commodam, at curis plane vacuam atque tranquillam in his, ad quae appulerant, locis: sed inopinati gallicarum copiarum progressus in Sabaudiam praesertim, et in civitatem, comitatumque Niciensem, eosdem ad novam magisque lamentabilem fugam capessendam compulerunt. Nos equidem iisdem charitatis sensibus et in eadem voluntate defixi, inter ipsas rerum angustias in quibus versamur, mandavimus atque praecepimus, ut novi huiusmodi exsules exciperentur atque alerentur, non in Nostra hac Urbe dumtaxat, sed in provinciis etiam Nostrae Di-

(1) Cic. de Offic. l. II. cap. XVIII.

Immo sanctus Pontifex hac occasione docuit, obiici non posse peculiarem indulgentiam aliquando adhibitam, eo quod satis constaret, actum fuisse quasi dispensatorie *pro remedio, ac necessitate temporis* (1).

Neque alia certe fuit S. Hieronymi sententia. Disserens enim de episcopis lapsis in Synodo Ariminensi, censuit, eos de soliis episcopalibus deiectos debuisse inter laicos redigi ad perpetuas de scelere lacrimas effundendas (2). Consideravit tamen sanctus Doctor, posse nonnihil de huiusmodi rigore aliquando remitti (3); utque remissio huiusmodi certis esset regulis circumscripta, in Synodo Alexandrina, cui S. Athanasius, Hilarius Pictaviensis, et Eusebius Vercellensis interfuerunt, placuit statuere, quoad sceleris principes atque auctores, quos error excusare non poterat, servari illaesum antiquum Ecclesiae canonem, alios vero poenitentes Ecclesiae posse sociari; consensitque Romana, et Occidentalis omnis Ecclesia, veluti idem S. Hieronymus testatur (4).

Hinc minime Nos recedemus ab aequitate et indulgentia, postmodum in Ecclesiam recepta, si postulantibus vobis generatim intrusorum absolvendorum facultatem, secernentur a Nobis Presbyteri, aliique inferioris ordinis Ecclesiastici Viri ab archiepiscopis, et ab episcopis ordinis superioris. Ad Presbyteros, aliosque Ecclesiasticos Viros quod spectat, per Nos in quarta, et quinta classe comprehensos apostolicarum litterarum diei 19 praeteriti Martii (5), concedimus ad annum unicuique vestrum, dilecti Filii No-

(1) Cit. Epist. XXII. num. 5.

(2) Comment. in Ezechielem Proph. lib.XIII. cap. XLIV. §. *Haec dicit*, edit. Venet. an. 1768. tom. V. part. I. pag. 542, 543, 544 et 545.

(3) Cit. Comment. in Ezechielem cit. pag. 545. §. *Quidquid.*

(4) Tom.II. adversus Luciferianos, cuius verba referuntur apud Labbeum cit. tom. III. col. 843.

(5) Vid. num. LVII. §. *Parochos*, et seq. pag. 277.

Ecclesiastici viri in duabus Abbatiis eidem civitati proximis, Petershausensi et Creutzlingensi fuerunt excepti, petierunt a Nobis, ut nostra adhiberemus officia apud Ecclesiae Germanicae praesules, pontifices, abbates et capitula, ipsisque extorres Gallicanos sacerdotes, pro Apostolica fide et pro catholica unitate tanta perpessos commendaremus; ita Nos iustas ipsorum preces suscipere volentes, libenti animo Nostras hasce litteras ad vos mittimus, magis ut ea laudibus prosequamur, quae per vos ipsos agi coepta sunt, quam ut vobis etiam atque etiam commendemus hos dignos Christi athletas, quos et causa, quam strenue defenderunt, et eorum praeclara merita satis superque per se ipsa commendant.

Hae itaque Nostrae litterae testatum vobis facient, quanta consolatione leniamur inter graviores ipsas angustias, quibus undique premimur, propter indubiam spem, quam intimo fovemus animo, fore, ut vobis, venerabiles fratres, archiepiscopi et episcopi, vestris semper obversetur oculis aurea illa sententia s. Pauli: *Oportet episcopum esse hospitalem* (1); quam quidem sententiam tum sancti Patres, tum concilia ipsa collaudant. *Episcopi namque domus,* ut beatus Hieronymus scribit, *omnium commune debet esse hospitium; et laicus, si unum, aut duos, aut paucos recipiat, implet hospitalitatis officium: episcopus, nisi omnes receperit, inhumanus ab eo scribitur;* verba sunt concilii Parisiensis VI (2). Nec minus indubia spe ducimur fore, ut vos quoque, dilecti filii, abbates et abbatissae, ea semper animo repetatis, et opere praestetis, quae monachos docuit s. Benedictus, ut scilicet abbas quotidie habeat hospites in sua mensa,

(1) Epist. ad Titum cap. I, v. 7. 8, et ad Rom. c. XII. v. 13.

(2) An. 829, lib. I, cap. 14. apud Labbeum. Coll. Concil. recent. edit. A. Zattae, tom. XIV, col. 548.

abbatissae autem, iuxta synodum Aquisgranensem (1), *prope portam monasterii;* vos denique, capitula et cuiusvis generis Ecclesiastici viri inclytae Ecclesiae Germanicae, certo confidimus fore, ut gloriae vestrae esse arbitremini, si datum vobis erit ea hortamenta adimplere, quibus S. Tridentina Synodus *admonet quoscumque Ecclesiastica beneficia saecularia seu regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium, a SS. Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere assuescant; memores eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere* (2). Quemadmodum vero eadem Tridentina Synodus episcopis committendum curavit onus charitatis huiusmodi (3), ita minime dubitamus quin vos, venerabiles fratres, non exemplis modo, sed verbis etiam et hortationibus vestris comparanda curetis infelicibus hisce Gallis presbyteris, quae comparari per vos poterunt, maiora subsidia, *donec adspiraverit dies consolationis, et tempus pacis ad nos descenderit;* veluti dixit Alexander III, praedecessor Noster, dum Ecclesiasticos quosdam viros commendabat, quos fidei osores crudeliter insectabantur (4).

Plurima quidem sunt emolumenta, quae Deus Optimus Maximus pollicitus est, quaeque semper contulit iis, qui hospitalitatis laude floruerunt: Nosque certe futurum confidimus, ut hoc pietatis opus, cum publicis precibus simul coniunctum, debeat maturius eam consolationem et pacem Nobis afferre, quam tantopere exoptamus; dum interim vobis, venerabiles Fratres,

(1) An. 816, lib. II, cap. 28, apud Labbeum cit. tom. IV. col. 176.
(2) Sess. 25. de reform. cap. VIII.
(3) Loc. cit. et sess. 7. de reform. cap. XXII.
(4) Baron. ad an. 1164, num. 41.

dilectique filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXI Novembris MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

PIUS, qui supra.

LXXIV.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS
ET VICARIIS CAPITULARIBUS

Quinque Provinciarum Status Nostri Ecclesiastici et Ducatuum Urbini, et Ferrariensis, nec non et Legationis Bononiensis.

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quae causa Nos induxerat die 8 Iunii 1790, ut ad vos, VV. Fratres, daremus litteras, et quibus intelligeretis, post reseratos pro hac alma Urbe Nostra a die Pentecostes per totam eius solemnitatis octavam, Ecclesiae thesauros, aperiri eosdem etiam pro dioecesibus vestris, quae in pontificia ditione exsistunt; eam ipsam causam adhuc non solum permanere, sed graviorem in dies evadere, facile potestis ex ipsa ubique diffusa rerum fama cognoscere. Impii illi homines, de quorum licentia, furore, ac in sanctissimam religionem odio tunc agebamus, multo acriores nunc sumunt spiritus: in Ecclesiam, in apostolicam Sedem, ditionemque Nostram suae faces ferociae, et crudelitatis intentare dicuntur. Nos idcirco

videntes, quibus minis subiiciamur, multo flagrantioribus apud Deum instare precibus decrevimus. *Respexit enim Deus in orationem humilium, et non sprevit precem eorum* (1). *Petite*, dixit, *et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (2). Primum igitur proxime elapso Augusto mense publice fundendas in hac ipsa urbe obsecrationes indiximus, ut sanctissimae praesertim Virginis Mariae Dei Genitricis, ac B. Petri Apostolorum Principis interventu, divinam in Nos converteremus clementiam, quae inimicorum conatus omnes ab Ecclesia sua, fidelibusque populis prorsus averteret; cum recordaremur miserationum eius, qui per Moysis orationem Israeli victoriam tribuit de Amalec, scidit etiam maria, ut praetereunti populo viam praeberent, per Iudith Bethuliam ab obsidione, per Esther populum Dei ab interitu liberavit. Sed ne tum quidem exauditi fuimus; instant enim hostiles minae, et maiora quotidie discrimina. Non idcirco tamen despondendus animus; immo tanto magis orandum in humilitate, et cordis contritione, instar Publicani, qui ne oculos quidem in caelum audebat tollere; urgendum, perseverandumque Nobis est in fletu, in suspiriis, in lacrimis, in poenitentia, pulsandaeque sine intermissione misericordiae fores, quo tandem Dei in Nos ira peccatis Nostris concitata, convertatur ad commiserationem, ad pietatem, ad consolationem Nostram. Vellet enim Deus castigationes non inferre, cupit vim sibi fieri ab amicis, quaerit aliquem, a quo prohibeatur, cumque neminem inveniens dolore conficitur. *Quaesivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni* (3). Ac pr

(1) Psalm. CI. vers. 18.
(2) Ioann. XVI. vers. 24.
(3) Ezech. XXII. vers. 30.

pterea *quos videt nolle proprio voto corrigi, adversitatum tangit stimulis* (1). Itaque eo placandi Dei consilio, pro Sanctorum omnium solemnitate novas obsecrationes, supplicationesque, patefactis plurimis in urbe templis, fieri voluimus per integram octavam peragendas, ipsasque tribulationes ad malorum remedia adhibere, dicente regio Propheta: *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me* (2); atque ita per tribulationes maxime proficere, cum per eas divina Nos ad se evocet misericordia, cum illae virtutes alant et roborent, incompositos affectus coerceant, innocentiam tueantur, sancta inspirent desideria, et in oculis Dei Nos iucundos efficiant. Quae omnia paucis comprehendit Isaias, cum diceret: *Domine in angustia requisierunt te* (3): veluti puer numquam fortius matri adhaeret suae, quam cum se videt in labendi periculo, numquam citius maternum amplectitur sinum, quam cum aliquid timorem sibi iniicere percipit. Probatur praeterea per tribulationes, tamquam per ignem virtus, multoque maiori refulget lumine, ut in Abraham, qui per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est (4).

Praecipue vero est orationibus insistendum, iam appropinquante Natalis Domini Adventu; quod est propitiationis tempus, quod *animabus, non corporibus est assignatum,* ut monet S. Bernardus (5), adiungens insuper: *Diligenter pensate rationem Adventus huius, quaerentes nimirum quis sit, qui veniat, unde, quo, ad quid, quando et qua . . . . Neque enim tam devota Ecclesia universa praesentem celebraret Ad-*

(1) C. Isidor. Hispalens. lib. III. Sententiar. cap. III. n. 2.
(2) Psalm. CIX. vers. 1.
(3) Isaiae XXVI. vers. 16.
(4) Iudith VIII. vers. 23.
(5) S. Bernard. Serm. VI. de Adventu Domini.

ventum, nisi lateret in eo magnum aliquod sacramentum (1).

Sequestros, et caelestis gratiae conciliatores Nos assumpsimus post potentissimam Dei Matrem, ipsum, quem memoravimus, B. Petrum, Romanae universaeque Ecclesiae fundamentum, ac S. Pium V praedecessorem Nostrum, qui quantum ad conterendos Ecclesiae hostes orando, agendoque apud Deum profecisset, cum prae oculis haberemus, eiusdem Nobis patrocinium implorare maxime in pari causa opportunum duxeramus. Ille quidem et *precibus*, et *armis* hostiles impetus impetratis a Deo victoriis propulsabat. Eum ipsum Nobis et orandum, et imitandum proposuimus, ac ad iteratas, neque intermittendas preces arma etiam adiungimus. Cogimus militares copias, quibus maritimas munimus oras, neque ulli parcimus operae ac sumptui, quo commissos a Deo potestati Nostrae ac tutelae populos salvos incolumesque, quoad possumus, tueamur, non iam alios oppugnando, sed res, vitas, fidemque nostram defendendo, atque omnem ab hac ipsa Religionis Sede perfidiam arcendo, ac repellendo. Sed quid ullae valere vires Nostrae, quid efficere poterunt, etiamsi numero ac virtute praestarent, nisi exercituum Deus suo Nobis adsit praesidio, quo certe praesente et opitulante, numquam virium Nostrarum paucitati contra quamlibet hostium multitudinem diffidemus, ipso in hac spe Nobis praeeunte S. Pio V, qui in suis Brevibus Litteris Iubilaeum indicentibus die 9 Martii 1566: *Etsi*, inquit, *vires hostium maximae sunt, tamen maior est, qui in Nobis est, quam qui contra Nos, potensque est Dominus tam in paucis salvare, quam in multis?* In illius scilicet manu venti tempestatesque sunt, ille moderatur omnes bellorum opportunitates, minimisque momentis maxi-

(1) S. Bernard. Serm. II. de Adventu Domini.

mas inclinationes efficit, ille tela pro sua voluntate vel dirigit, vel avertit. Reficiat Vos iudicium S. Bernardi (1) scribentis: *Si bona fuerit causa pugnantis, pugnae exitus malus esse non poterit, sicut nec bonus iudicabitur finis, ubi causa non bona, et intentio non recta praecesserit.* Et quo umquam modo timere de bono exitu poterunt illi, qui omni conatu pro Iesu Christi doctrina, pro religione, pro ipsius causa sustinenda pugnabunt? Redeundum igitur semper ad obsecrationes, in iisque bellum Nostrum constituendum, ac talibus praecipue armis gerendum est. Idcirco ne ab huiusmodi pernecessariis hoc tempore precationum officiis distrahi, aut averti possint animi, occludi iussimus et pro reliqua huius anni parte, et pro toto insequenti anno theatra in hac urbe omnia, ceteraque profanae hilaritatis spectacula praesertim Bacchanaliorum prohibuimus. Sed ut certius ac efficacius ad exaudiendos clamores Nostros misericordiarum Patrem inclinemus, vos ipsos, VV. Fratres, vestraeque fidei concreditos populos, ad luctus, votorumque Nostrorum societatem evocamus; neque enim extranei a Nobis estis, sed eodem Nobiscum spiritu, ac eadem etiam temporalium rerum sorte ita coniuncti, ut nihil vel laetum, vel triste, calamitosumque Nobis accidere possit, quod in vos, dioecesesque vestras non redundet. Itaque cum haec eadem in vos procella, tamquam in eadem navi constitutos ingruat, supplices etiam voces vestrae cum manibus ad caelum attollendae Nobiscum sunt, ut nubes penetrare, ac ad divinae maiestatis solium pervenire, sistique valeant, ac inde subventuram Nobis, apostolicae Sedi, Catholicae Ecclesiae elicere, ac impetrare clementiam. Ideo Beatissimae Virginis Mariae patrocinio, quae est via, per quam Salvator advenit, Sanctorumque omnium, ac

(1) Ad Milit. Templi cap. 1.

praesertim B. Petri Apostoli, ac S. Pii V, quos hoc tempore potissimum invocandos statuimus, intercessione confisi, rursus pro vobis, vestrisque Plebibus Ecclesiae thesauros recludimus, ac Plenarias in forma Iubilaei concedimus peccatorum Indulgentias omnibus iis vestrarum Dioecesium, qui opera, quae hic subiiciemus, praestabunt, quae gravissimis horum temporum necessitatibus visa sunt convenire, consecuto nimirum apud Nos ex iis plurimo, ac singulariter commendando huius populi Nostri fervore. Neque enim praeterire silentio possumus, quantopere commoti fuerimus, cum redundare multitudinis concursu templa videremus, cum frequentissima sacramentorum fieret perceptio, cum viae pene omnes conspicerentur supplicationibus refertae non iam imperatis a Nobis, sed sponte susceptis, capitulorum, religiosorum ordinum, collegiorum, congregationum, communitatum, conservatoriorum, praelatam Crucem ordinatim pieque sequentium, quae Nos partim audientes, partim Nostris etiam oculis subiicientes, continere lacrimas prae gaudio non potuimus, neque non in maximam excitari divinae opis fiduciam, tanto totius civitatis Nostrae in divinum cultum studio, tanta devotione, pietate, religione consequendae.

Quapropter per continuum duarum hebdomadarum spatium ab unoquoque vestrum praefigendum, designentur in sua cuiusque dioecesi tot Ecclesiae, quot concurrentis populi commodo satis esse poterunt, in iisque orationes adhibendae, quae praesertim ad poenitentiam, contritumque cor, ac ad divinam impetrandam misericordiam referantur, adiunctis praeterea precibus ad consequendam Sanctissimae Dei Matris, B. Petri, S. Pii V, ac civitatis, seu loci Patroni, vel Patronorum Principalium intercessionem. Atque ut fideles ardentiore animo tunc ad Ecclesiam concur-

rant, iis omnibus, qui saltem tribus vicibus unam ex praefatis Ecclesiis visitaverint, ibique ad Deum preces iuxta mentem Nostram fuderint, et peccata sua confessi, ac sacra communione refecti fuerint in una ex iis designandis hebdomadis, et pauperibus aliquam eleemosynam pro sua cuiusque pietate erogaverint, ac feria quarta, sexta, et Sabbato ieiunaverint, plenariam in forma Iubilaei peccatorum indulgentiam concedimus, et impertimur.

Moniales vero, aliique in aliqua communitate degentes cum praescriptas a vobis recitaverint preces in loco, in quem ad orandum convenire solent, ceteraque praestiterint opera pro sua cuiusque facultate, eandem lucrari poterunt Indulgentiam, ac si unam ex dictis Ecclesiis ter visitaverint.

Id ipsum pariter intendimus de detentis in carceribus, ergastulis, arcibus, aliisque custodiis, eosque sacri huiusce thesauri ad suarum animarum profectum participes fieri volumus.

Similiter qui valetudine aliqua impediti fuerint, vel alia legitima causa, si easdem preces recitaverint, vel alia praestiterint opera, precibus ipsis, ad quarum recitationem impotes erunt, per commutationem arbitrio confessarii substituta, eadem potiri posse Indulgentia concedimus.

Demum ne hoc spirituali beneficio careant, qui pastoritiam artem exercent, cum ipsi nequeant a suorum gregum custodia, nisi breviter, ac divisis inter se vicibus discedere, eisdem etiam consulere volentes, permutamus ipsis designatas Ecclesias in unius Ecclesiae propinquioris visitationem, ab unoquoque semel faciendam, ut ita, si sua peccata confessi, sanctissimae Eucharistiae Sacramentum devote susceperint, praemissam Indulgentiam consequi valeant.

Atque hae ipsae Indulgentiae per modum suffragii

applicari poterunt pro animabus in Purgatorio existentibus.

Ad quos effectus facilius consequendos, Fideles utriusque sexus, tam Laici, quam ecclesiastici saeculares et Regulares cuiuscumque ordinis, congregationis, et Instituti eligere sibi poterunt in confessarium quemcumque Sacerdotem ex approbatis, tamen respective ad dictas personas, iisque confessariis amplam impertimur facultatem absolvendi pro una vice in foro conscientiae a quacumque sententia excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a sacris canonibus et iudicibus, quavis occasione et causa latis, seu inflictis; nec non et ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam locorum ordinariis, sive Nobis, et Sedi Apostolicae per quascumque Nostras, aut Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum constitutiones, quarum tenores haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum absolvere et liberare valeat; reservatis tamen, atque exceptis Haereticis dogmatizantibus, et in delicto complicibus; itemque valeat vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia, et salutaria opera commutare; iniuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque pro eiusdem confessarii prudentia iniungendis. Non intendimus autem per praesentes, sicuti Praedecessorum Nostrorum nemo in publicatione Iubilaei umquam intendit, super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, vel inhabilitate quoquo modo contracta ex defectu dispensasse, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque

etiam easdem praesentes iis, qui a Nobis, vel ab aliquo Praelato, seu iudice Ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti fuerint, nisi intra eiusdem Iubilaei tempus satisfecerint, et cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Ad praescripta opera, quae pro lucranda Indulgentia fieri postulamus, adiungimus adhuc hortationem Nostram, ut unusquisque fidelium aliquid boni ex suae pietatis, ac virtutis arbitrio conferat. Et si in aliqua dioecesi religiosorum ordines, qui ibidem exsistant, canonicorum collegia, conservatoria etc. coniunctim singula procedent ad Ecclesiam, prout hic Romae ad plurimam populi aedificationem factum esse cognovimus, ut per viam in eundo, redeundoque recitent Litanias Sanctorum, implorentque Patronorum opem non sine aliis precibus ad poenitentiam spectantibus, iisdem suggeretis; atque idcirco prius ipsis in memoriam revocari curabitis, quod S. Innocentius I scripserat ad Episcopos Aurelium, et Augustinum: *Nostris communibus et alternis plus agimus orationibus, quam singularibus aut privatis.*

Illud postremo unicuique vestrum adiungere debemus, ut elapso Iubilaei tempore, ne item elapsum esse precationum ad Deum tempus existimetur, proptereaque praecipuam in eo ponendam esse sollicitunem vestram ad populum in peculiari divino cultu, ac pietatis exercitatione diu, multumque retinendum. Idcirco ab eiusdem conspectu, ac etiam cogitatione per integrum proximum annum omnia removenda, Nostra auctoritate, sunt profanae hilaritatis spectacula, theatrorum nempe ac Bacchanaliorum, quemadmodum iam hic Nos Romae faciendum praecepimus, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorum totis

tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earundem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Demum Apostolicam Benedictionem Fraternitatibus Vestris peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXIV Novembris MDCCXCII, Pontificatus Nostri anno XVIII.

LXXV.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE VI

ALLOCUTIO HABITA

IN CONSISTORIO SECRETO

Die 3 Decembris 1792

Ven. Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ex Nostrae huius allocutionis argumento summi certe moeroris plenissimo, de quo unumquemque Vestrum venerabilium Fratrum, paucis ante diebus certiorem fieri voluimus, minime dubitamus, quin pro

perspecta prudentia Vestra mature deliberaveritis, quam huc sitis sententiam allaturi. Impium bellum, ut satis, ubique pervulgatur intentari contra apostolicam Sedem, ditionemque Nostram, ad Nos hostiles minae, armorumque paratus undique perferuntur. Quod primum a Nobis tali rerum rumore perculsis agendum erat, ut omnem cogitationem, atque operam ad divinam implorandam misericordiam converteremus, illud pro apostolico munere Nostro semel, iterumque fecimus, evocato huius almae Urbis Nostrae fideli populo ad preces, supplicationesque publicas, ac patefactis Ecclesiae thesauris, per quos animi tanto magis ad eluenda lacrimis peccata, Deique placandam iram excitarentur. Quod ipsum modo ad universam etiam extendimus pontificiam ditionem, Nostrisque votis, quo efficaciora essent, plurimorum vota coniungere curavimus. Haec sunt potissima, quibus gerendum Nobis bellum erat, arma Nostra, haec sunt, quibus singulariter res, vitam, fidemque Nostram tueri Nos posse confidimus. Nihilominus tamen post imploratam Dei omnipotentis opem, post interpositum sanctissimae Dei Matris, beatorum Apostolorum, Sanctorumque omnium patrocinium, praetermittere non debuimus ea etiam humana praesidia, quibus distineremus a Nobis hostiles impetus, tutelamque commissis Nobis populis atque incolumitatem, quantum in Nobis esset, praestaremus. Cogimus idcirco militares copias, maritimas munimus oras, belli peritos arcessimus duces, ceteraque omnia expediri fecimus, quae pro rerum discrimine tempus ipsum videtur a Nobis postulare. Verum Vos ipsi facile percipitis, qui quantique sumptus ad tantos requirantur apparatus in ea praesertim ditione, quae maxime aliena ab armis est, bellique gerendi prorsus insueta. Una etiam agnoscitis non solum aerarii Pontificis vires impares esse ad id oneris sustinendum,

sed nec ullam suppetere rationem, ad necessariam pecuniae vim pro praesenti necessitate colligendam, cum hoc praecipue tempore tanto magis ipsius habendae pecuniae crescat difficultas, quod eandem nonnulli, inconsulto sane, perquirant et corrogent, ut extra pontificiam ditionem, prout ipsi dicunt, in tuto deponant. Quo facto certe declarant, quam abiecto sint animo, et alios qui impavidi, et animosi sunt, in formidinem adducant; quando certe ipsi sua deberent ope adiuvare ceteros ad resistendum hostibus, suoque exemplo ad patriae defensionem excitare. Quapropter nihil iam Nobis est reliquum, quam ut ad sanctius aerarium, quod repositum est in arce Nostra sancti Angeli, confugiamus. Itaque decrevimus summam inde quingentorum millium scutorum vulgaris monetae depromere; neque enim ambigi posse credimus, quin in eo versemur gravissimo casu imminentis belli, quo fel. rec. Sixtus P. P. V, praedecessor Noster pecuniam huiusmodi ab ipso congestam desumi posse permisit in suis desuper editis constitutionibus, quas ceteroquin tam quoad ipsius pecuniae extractionem, quam quoad leges circa eam adiunctas accurate ac diligenter observare omnino intendimus, non minus illius iurisiurandi, quo saepius hac in re Deo Optimo Maximo, atque huic Sedi fidem Nostram obstrinximus, religione compulsi, quam apostolici muneris Nostri adducti ratione qua ea omnia, quae a Praedecessoribus Nostris sancte et utiliter constituta fuisse noscuntur, inviolate custodire admonemur. Nunc Vestras singulorum sententias venerabilium Fratrum exspectamus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, attento Fraternitatum Vestrarum unanimi voto, consilio, et assensu, ac qua-

tenus opus sit decreto etiam propria manu Vestrum omnium subscripto, firmato et roborato, volumus, decernimus, et mandamus, ut ex pecuniis in sanctiori aerario arcis Nostrae pontificiae sancti Angeli per fel. record. Sixtum P. P. V reconditis et collocatis, depromantur et extrahantur quingenta millia scutorum monetae romanae, successive tamen, ac pluribus vicibus, ut praesenti gravissimae necessitati succurratur. Quod si ex praedicta summa portio aliqua consumpta non fuerit, volumus, ut in idem Nostrum aerarium restituatur, et reponatur, ibique iisdem, ut prius, vinculis subiecta remaneat, in omnibus, et per omnia iuxta tenorem constitutionum per eundem Sixtum praedecessorem Nostrum desuper editarum, atque ita ab omnibus, ad quos spectat, omnino fieri et exsequi praecipimus, et mandamus; ea vero summa, quae in necessitates huiusmodi erogata fuerit, cum impensarum faciendarum ratio cessaverit, omnino in aerarium, unde deprompta fuit, in eodem pecuniae valore restitui, ac reponi opportuno tempore volumus, intendimus, atque ita Deo dante curabimus iuxta formam et dispositionem earundem constitutionum. Ceterum de huiusmodi Nostro decreto, et aliis praemissis omnibus ultra venerabilem fratrem Nostrum Henricum S. R. E. cardinalem Ducem Eboracensem episcopum Tusculanum eiusdem S. R. E. vice-camerarium, etiam dilectum filium Nostrum Stephanum tituli sancti Clementis dictae S. R. E. presbyterum cardinalem Borgia.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ sancti. Amen.

LXXVII.

DECLARATIO ET PROROGATIO

FACULTATUM CONCESSARUM

A SS. DOMINO NOSTRO

PIO PAPA VI.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS

Ac Dioecesium Administratoribus Regni Galliarum.

Perpensis circumstantiis regni Galliarum, quae deteriores fiunt, perpensaque fuga et absentia tam archiepiscoporum, episcoporum, vicariorum, aliorumque dioecesium administratorum, quam ecclesiasticorum singularum dioecesium, cum videat planeque cognoscat sanctissimus Dominus Noster irritum et inanem evasurum usum facultatum absolvendi ecclesiasticos iuratos et intrusos, concessarum iam dictis archiepiscopis, episcopis et Ecclesiarum gallicanarum administratoribus duplici indulto diei 19 Martii, et diei 13 Iunii huiusmet anni 1792, nisi aliqua moderatio adhibeatur legi priori indulto appositae de non adhibendis huiusmodi facultatibus *extra fines suae dioecesis, neque in locis Dominio regis christianissimi non subiectis;* in vim praesentis indulti tribuit conceditque praedictis archiepiscopis, episcopis, et dioecesium administratoribus auctoritatem absolvendi aut per se ipsos, aut per alios ab ipsis delegandos, singulos ecclesiasticos dioecesanos iuratos, quamvis commorantes in alienis dioecesibus, etiam ditioni christianissimi regis non subiectis. Vult autem Sanctitas Sua, ut in absolutionibus concedendis serventur con-

ditiones appositae in dictis indultis; praetereaque vult, ut delegatio fiat in unum ex confessoribus approbatis ab Ordinario loci, in quo commorantur ii, qui poenitentia ducti absolutionem exposcunt. Quemadmodum vero facultas huiusmodi absolvendi ecclesiasticos iuratos et intrusos una cum aliis facultatibus, quae dictis archiepiscopis, episcopis, et administratoribus per memorata et alia pontificia indulta ad annum concessae fuerunt, paulo serius, aut paulo ocius finem sunt habiturae, ita eadem Sanctitas sua in vim praesentis indulti facultatem, de qua agitur, et alias etiam facultates prioribus indultis comprehensas concedit, et prorogat ad annum, a die expirationis cuiuslibet indulti respective incipiendum, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit.

Datum ex aedibus Vaticanis die X Decembris MDCCXCII.

F. X. Cardinalis de Zelada.

SUPPLEMENTUM

APOSTOLICIS LITTERIS ET RESCRIPTIS

Editis ann. 1790-1792.

1.

VENERABILI FRATRI

CLEMENTI WENCESLAO

Archiepiscopo Trevirensi et Episcopo Augustano S. R. I. Principi Electori.

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Ad plurimas animi nostri aegritudines, quas quotidie percipimus ex Gallicarum rerum nuntiis, ac praesertim ex nationalis illius Conventus decretis magna huic sanctae Sedi, Ecclesiaeque detrimenta inferentibus, non mediocris accedit nova Nostri moeroris causa ex litteris tuis die 21 Iunii datis; in quibus refers, quae ab eodem Conventu in tuae Trevirensis Ecclesiae damna contra antiqua eiusdem iura totque solemnis pacta conventa emanarunt, et quae tu ipse hactenus contra illegitimam eam auctoritatem opposueris, quaeque ad tuos perscripseris coepiscopos, ut coniunctis viribus, imperium, cuius est membra statusque tueri, imploretis. Nunc vero a Nobis etiam enixe postulas, ut nihil adversus Ecclesiae tuae iura antiquissimamque possessionem per Nos concedatur, imo ut praerogativas eiusmodi omni, quo fieri potest modo salvas

et illaesas conservare conemur. Utinam, venerabilis frater, in ea non incidissemus tempora, in quibus eiusmodi grassantur, ut nosti, novitates, quae iura fere omnia perturbant; nihilque tam aequum, venerabile, ac sacrosanctum sit, quod non de suo statu convellatur. De his omnibus quotidie dolemus, ingemiscimus, ac ad Deum preces lacrimasque nostras profundere non intermittimus. Ex quo facile percipere potes, venerabilis frater, quantopere tuis nunc permoveamur, quas exposuisti, rationibus, quantumque cupiamus, ut a tuo tuaeque Ecclesiae iure, splendore, dignitate, auctoritate nihil in hac tanta rerum omnium perturbatione possit decedere. Tantum igitur abest, ut quidquam a Nobis in eiusdem damnum umquam concedatur, ut quoad in Nobis erit, eandem in eo, quo constituta est, retinere ac tueri statu, omni ope atque auctoritate nostra conaturi simus. Hanc voluntatem eo etiam, si fieri potest, firmiorem futuram existimare debes, quod de te, venerabilis frater, tuisque rebus agitur, quas tamquam Nostras reputamus, cum singularia esse Nostri animi erga te ipsum studia, summamque mutui amoris, officiorumque omnium coniunctionem profiteamur. Ac in divini praesidii auspicium, apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, universisque tuae fidei concreditis ovibus amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die XVII Iulii MDCCXC, Pontificatus Nostri anno XVI.

2.

DILECTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI DE ROHAN

Archiepiscopo Argentoratensi

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Luctuosissimum sane esse Catholicae religionis, maximeque deplorandum in isto Galliae regno statum agnoscimus, dilecte fili Noster, neque quidquam esse posse declaramus, quod ob tantas rerum vestrarum conversiones animum Nostrum magis sollicitet ac perturbet. Utinam Deus per suam misericordiam, ad quam quotidie confugimus, ac cum Nostris Christi fidelium preces coniungimus, aliquem aperiat tantorum malorum exitum, agitatamque tot procellis Ecclesiam soletur tandem, ac in tranquillitatem restituat. Nos quidem una et Nostram, et vestram dolemus vicem, universique gallici tam saecularis quam regularis cleri calamitatibus ingemiscimus, ac per vota lacrimasque nostras imploramus omnibus fortitudinis, constantiae, consiliique Spiritum; ne scilicet quisquam in tanta temporum difficultate deficiat, ab eoque malorum torrente abripiatur. Propterea cum tibi nunc praecipue in tantis ingruentibus periculis cordi esse tuarum ovium salutem, teque pro iisdem curas omnes impendere ex tuis litteris die 4 Iunii ad Nos datis intelligamus, parati certe sumus praesto tibi esse, et quantum in Nobis est, sollicitudines tuas apostolica auctoritate sublevare. Itaque quod a Nobis postulas, circa regulares utrius-

que sexus ad saecularem statum transire cupientes, illud, quod aliis etiam collegis tuis id ipsum flagitantibus, rescribendum censuimus, tibi itidem respondemus, ut eorum nomina, qui indultum istud debito modo a te petierunt, ad Nos cum allatis rationibus transmittas, ut ita statim perspectis causis, opportune pro singulis decernere valeamus. Demum in tantis rerum vestrarum angustiis te tuumque clerum ac dioecesim omnem Pastorum principi Iesu Christo Domino nostro singulariter commendantes, interim apostolica benedictione te prosequimur, quam tibi, dilecte fili Noster, in paternae etiam benevolentiae pignus ex animo, ac peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die XXI Iunii MDCCXC, Pontificatus Nostri anno XVI.

8.

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE

NOBILI MULIERI ALOISIAE ADELAIDI

Ducissae Borboniae, Condeae Abbatissae
Insignis Ecclesiae S. Petri Romaricensis

PIUS PAPA VI.

Dilecta in Christo Filia, Nobilis Mulier, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Accepimus litteras tuas, dilecta in Christo filia, nobilis mulier, iisque adiuncta protestationum folia, quas et capitulum tuum et tu ipsa seorsum, cum ab illo tunc abfueris, pari consensu emisistis contra decreta Conventus nationis gallicae, quae in universum istum cum saecularem, tum regularem clerum pluries emanarunt. Ad ceteras gravissimas paterni animi Nostri sollicitudines, quibus assidue vexamur causa tan-

torum Ecclesiae gallicanae detrimentorum, non exigua accedit doloris pars ex vobis ipsis, cum illata capitulo vestro, eiusque iuribus damna in Nos ipsos potissimum redundare existimemus. Sed magnum etiam solamen a te tuisque in Domino sororibus percipimus, intelligentes qualem animum tam adverso tempore exhibeatis, quali nimirum studio in Ecclesiam sacrasque res inflammemini; vestrum propterea zelum, virtutem, religionem agnoscimus, maioremque in modum commendamus. Deum Optimum Maximum obsecramus, ut vos sua gratia sustentet ac roboret, precesque Nostras, quas pro ecclesiarum istarum statu cum vestri capituli rationibus coniuncto ad ipsum quotidie profundimus, sua benignitate prosequatur. Ac in Nostrae singularis benevolentiae pignus, apostolicam benedictionem tibi, dilecta in Christo filia, nobilis mulier, tuoque capitulo peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die XXIII Octobris MDCCXC, Pontificatus Nostri anno XVI.

4.

DILECTAE IN CHRISTO FILIAE

NOBILI MULIERI ALOISIAE ADELAIDI

Ducissae Borboniae, Condeae Abbatissae Insignis Ecclesiae S. Petri Romaricensis

PIUS PAPA VI.

Dilecta in Christo Filia, Nobilis Mulier, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod tibi, dilecta in Christo filia, nobilis mulier die 23 octobris proxime praeteriti rescripsimus, cum tuas accepissemus litteras una cum adiunctis protest

tionum foliis, quas ipsa tuumque capitulum pari consensu emiseratis contra decreta Conventus nationis gallicae, quae in universum istum, tum saecularem, tum regularem clerum emanarunt, id ipsum nunc renovatis vestris protestationibus, earumque exemplo ad Nos transmisso non sine plurima laude constantiae vestrae in retinendo quantum in vobis est sacri instituti studio, confirmamus nempe ad publicas maximarum animi Nostri aegritudinum causas non mediocrem etiam in Nos dolorem accessisse, ex peculiaribus vestrarum rerum rationibus, ex iis scilicet, quae vobis vestrisque iuribus etiamnum inferri agnoscimus, detrimentis. Quod ipsum ad Nos deferentes praeclara certe exhibetis pietatis vestrae, atque in Nos et sanctam hanc Sedem observantiae coniunctionisque documenta. Verum ea sunt tempora, ut quanto maiori vexamini tribulationum procella, tanto itidem maiorem opponere patientiae virtutem debeatis, eaque ipsa ad assiduas preces adiuncta divinam inclinare clementiam, quo misereri Ecclesiae suae velit, tantasque aerumnas ad animarum utilitatem suaeque gloriae incrementa convertere. Huiusmodi vota pro hac rerum necessitate numquam intermitti debent, spesque omnes in Eius misericordia collocari, ab eaque providentissima beneficentissimaque voluntate solamen ac levamen exspectari. Interim in singulare paternae Nostrae erga vos charitatis testimonium, ac in divinorum munerum auspicium, apostolicam benedictionem tibi, dilecta in Christo filia, nobilis mulier, tuoque spectabili capitulo, peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die XXVI Ianuarii MDCCXCI, Pontificatus Nostri anno XVI.

5.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Habita die 11 Decembris 1791.

Cum ex parte R. P. Ioannis Baptistae Ordinis Capuccinorum, actualis Guardiani Conventus Burdigalensis in Gallia, nomine etiam aliorum Fratrum in eodem conventu suae iurisdictioni subiectorum expositum fuerit Sanctissimo D. N. Pio PP. VI, quod in tantis angustiis, quibus ut maxime compertum est modo vexantur, auctoritate civili urgente expulsi quoque fuerunt e proprio Conventu, et errantes apud proprios consanguineos aut etiam apud extraneos hospitium quaerere coacti sunt, proptereaque in hisce rerum circumstantiis nonnullas facultates et indulta postulaverint, Sanctitas Sua ad relationem R. P. D. Archiepiscopi Adanensis S. Congregationis de Propaganda Fide Secretarii, eidem Oratori aliisque sibi in praedicto Conventu subiectis Fratribus, dummodo iuramentum civicum non emiserint, et sub obedientia legitimi Archiepiscopi Burdigalensis vivant, sequentes facultates et indulta benigne concessit.

1. Equitandi in itinere, atque utendi calceamentis et pannis lineis, prout necessitas postulaverit; nec non deferendi pecunias easque recipiendi et expendendi pro suis religiosis indigentiis, ac usibus licitis et necessariis, salvo semper voto religiosae paupertatis.

